MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81222-4

AUTHOR:

LIERS, HUGO

TITLE:

DE AETATE ET SCRIPTORE LIBRI QUI...

PLACE:

VRATISLAVIAE

DATE:

1880

Master Negative #

93-81222-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88D35
EZ Liers, Hugo, 1855-
De aetate et scriptore libri qui fertur Demetrii Phalerei περὶ ἑρμηνείας. Dissertatio inauguralis philologica quam scripsit et ... publice defendet Hugo Liers ... Vratislaviae, apud G. Koebnerum, 1880.
35 p. 22½ cm.

Thesis, Breslau, 1880.

620662

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-29-93 INITIALS JAMES
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

DE AETATE ET SCRIPTORE LIBRI QUI FERTUR DEMETRII PHALEREI ΠΕΡΙ ῾ΕΡΜΗΝΕΙΑΣ

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM SCRIPSIT
ET
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
CONSENSU ET AUCTORITATE
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XIII. M. DECEMBRIS A. MDCCCLXXX, HORA XI
IN AULA MINORE
PUBLICE DEFENDET

HUGO LIERS
SILESIUS

ADVERSARII ERUNT:
MAXIMILIANUS WEBER, DR. PHIL.
CAROLUS COTTA, CAND. PHIL.

VRATISLAVIAE
APUD GUILELMUM KOEBNERUM
MDCCCLXXX

MATRI CARISSUMAE

PIETAS

Inde ab Aristotelis aetate usque ad tempora Antoninorum pauca exstant rhetorum Graecorum opera de quorum et aetate et auctore non ortae sint magnae inter viros doctos controversiae contentionesque. Quarum plurimae aut omnino sunt compositae aut ad eum finem perductae in quo nunc quidem possit acquiesci. De uno libro qui fertur Demetrii Phalerei περὶ ἑρμηνείας quaestio accurata a nullo ad hoc tempus est instituta, id quod eo magis est mirum, quia laudibus omnes eius libri scriptorem efferunt magnique ingenii praedicant. Cum autem Reifferscheidio V. Ill. monente ad studium veterum rhetorum Graecorum me conferrem, primo quidem in Dionysio Halicarnassensi operam collocabam; a quo profectus cum ceteros rhetores ita pertractarem ut totius historiae artis veterum rhetoricae effigiem animo meo imprimere conarer, mox mihi persuadebam non posse veram esse communem virorum doctorum de aetate illius libri de elocutione sententiam reique difficultate stimulabar, ut tunc quidem Dionysium relinquerem quaestionemque de illo libro persequerer.

Movit autem eam quaestionem P. Victorius, exceperunt omnes fere qui sequebantur editores. Cum enim Demetrii Phalerei nomen et libello esset inscriptum et in eo ipso § 289 inveniretur, inde ab initio de scriptore dubitatio quaestioque offerebatur. Atque Victorius unus quod sciam librum Demetrio Peripatetico abiudicandum esse negavit; immo prodi putabat elegantia dictionis, acumine et subtilitate qua uteretur in virtutibus optimorum auctorum significandis vitiisque aliorum

reprehendendis; confirmari testimoniis Ammonii filii Hermiae interpretis libri Aristotelis *περὶ ἑρμηνείας* et Theophylacti episcopi Bulgariae.*)

Post Victorium usque ad hunc diem consentiunt viri docti nihil commune esse huic libro cum Demetrio Phalereo; de vero autem et genuino scriptore ut fert rei natura vehementer dissentiunt. Atque Valesius quidem Menagius alii ad Dionysium Halicarnassensem confugerunt, qui comprobabatur testimonio scholiastae ad Aristophanis Nubes v. 400: *Χάρις ἐστὶν στίχου τοῦ ἀλλοτρίου, ὥς ἔφη Διονύσιος ὁ Ἁλικαρνασσεὺς ἐν τῷ περὶ ἑρμηνείας*; is enim spectat libri de elocutione § 150. Stilus quoque Valesio Dionysium referre videbatur. Contra quos alii velut Fischerus Schneiderus Walzius ipsa horum dicendi genera prorsus diversa esse contenderunt nullamque apud utrumque scriptorem in iisdem rebus tractandis consensionem; Schneidero denique doctrina ingenioque scriptor libri de elocutione inferior videbatur.

Prorsus futilis erat opinio eorum qui voluerunt librum esse compositum a Tiberio rhetore, id quod dixit L. Wachler (Handbuch d. Geschichte d. Literatur. Frankfurt a. M. 1822. I p. 148.) quem secuti sunt A. Stahrius et F. Schoellius (Geschichte d. griech. Literat. II p. 148.).

Joh. Ger. Vossius ex loco Diogenis Laert. V. 84. *Ὄγδοος* (scil. Demetrius) *ὁ διατρίψας ἐν Ἀλεξανδρείᾳ σοφιστὴς τέχνας γεγραφὼς ῥητορικάς* hunc ipsum Demetrium Alexandrinum librum de elocutione conscripsisse coniecit eundem Demetrium ab Ammonio significari ratus. Eum fere omnes qui postea hanc rem attigerunt, sunt secuti, veluti Schneiderus Walzius Westermannus Ostermannus (Commentat. de Demetrii Phalerei vita etc. 1847.), A. Boeckhius (Encycl. u. Meth. d. phil. Wissensch. p. 232).

Ab his unus recessit Fr. Blassius, qui in dissertatione de Dionysii Halicarnassensis scriptis rhetoricis Bonnae 1863 thes. VI. censet: „Libri de elocutione auctor Demetrius aequalis fere fuit Dionysii Halicarnassensis.“ Neque tamen in libro quo tractavit eloquentiam Graecorum ab Alexandri aetate usque ad Augustum, ullam huius libri habuit rationem.

R. denique Volkmannus in libro qui inscribitur „Die Rhetorik d. Griechen u. Römer.“ Leipzig 1874. p. 462 satis caute dicit . . . . „Demetrius, dessen Schrift *περὶ Ἑρμηνείας* aller

*) Vide ea testimonia p. 5, 6.

Wahrscheinlichkeit nach in der Zeit zwischen Dionys und Hermogenes verfasst ist.“

Nemo vero eorum quos attuli virorum doctorum quaestionem accuratam instituit; sed aut nullas causas attulerunt quibus sententiam suam confirmarent aut iis quae primo obtutu legenti offeruntur rebus usi Demetrio Phalereo librum abiudicandum esse statuerunt.

Mihi ita rem pertractare in animo est, ut primum afferam veterum quae de hoc libro exstant testimonia: post ea praecepta rhetorica illius libri persequar unde ad aetatem eius definiendam aliquid colligi possit; postremo denique capite Demetrium Peripateticum scriptorem libri esse probare conabor. Causas autem quibus permoti superiores esse ab hoc viro librum compositum negaverunt, suo loco commemorabo quodque earum pondus sit, ostendam.

Caput primum.

Veterum testimonia de libro *περὶ ἑρμηνείας* percensentur.

Non raro utuntur libro de elocutione rhetores aetatis Byzantinae, eum plerumque in modum ut nomine auctoris non addito verba inde excerpant neque curent, quemadmodum excerpta iis conveniant quae ipsi de arte rhetorica praecipiunt. Atque omnium quidem saepissime illum librum descripsit Gregorius Corinthius in commentario quo Hermogenis librum *περὶ μεθόδου δεινότητος* explicavit. (Rh. Gr. ed. Walz. VII p. 1090—1352.) Is uno loco p. 1215 inter veteres auctores scriptorem libri de quo agimus numerat: *ὅθεν καὶ τὴν τοιαύτην ἑρμηνείαν οἱ παλαιοὶ διῃρημένην ὠνόμαζον*; cfr. lib. *περὶ ἑρμην.* § 12.*)

Deinde significat scriptorem libri de elocutione scholiasta ad Hermogenis libros de inventione W. VII p. 846, qui, postquam explicavit naturam epiphonematis quod Hermogenes proposuit,

*) Et hunc et ceteros locos quos sumpsit ex Demetrio Gregorius adnotant illius editores. Idem transtulit multa ex capitibus VIII. et XI. artis rhetoricae Dionysii. —

his verbis pergit: *ἑξῆς ῥητέον καὶ περὶ τῆς τῶν ἀρχαίων δόξης ἀμφὶ τῶν ἐπιφωνημάτων οἷά φασι καὶ μάλιστα ὁ περὶ σχήματος λέξεως ἀκριβῶς διαλαβών*; iam sequitur definitio ea quae legitur in libro de eloc. § 106; cuius scriptorem praeterea significat p. 844 *πολλοῖς γὰρ περὶ ἐπιφωνημάτων ἀρχαίοις εἴρηται.* Idem*) Anonymus de epiphonemate disputat W. VIII p. 623/4 (Rh. Gr. Speng. III p. 116/7.) disputationemque in hunc modum claudit: *κόσμος γάρ ἐστιν τοῦ λόγου τὸ ἐπιφώνημα ἐοικός, ὥς τις τῶν σοφῶν ἔφη, τοῖς τῶν πλουσίων γείσοις καὶ πορφύραις πλατείαις*, quae descripsit ex § 108 libri de elocutione. Locum denuo descripserunt Maximus Planudes W. V p. 432 et rhetor anonymus de figuris ab Hermogene explicatis W. III p. 706.

Paragrapho VII libri de elocut. usus est rhetor anonymus qui scripsit prolegomena ad Hermogenis libros de inventione W. VII p. 64: *καὶ παρὰ τοῖς ἀρχαίοις εἴρηται: πᾶς δεσπότης δούλῳ μονοσύλλαβος*; huius locum commentario suo inseruit Maximus Planudes W. V p. 366, ubi prave legitur *μονοσύλλαβον.*

Denique § 102 libri de elocut. spectare videtur Doxopater W. II p. 233; qui Geometrem secutus ait: *θαυμαστότερον δὲ καὶ ἕτερον εἶδος τοῖς παλαιοτέροις ἐπινενόηται, ὅπερ τινὲς μὲν ἀλληγορίαν ὠνόμασαν, οὐκ ἔστι δὲ, ἀλλὰ μᾶλλον ὁμοίωσις· ἔστι δὲ τοιοῦτον ὅταν αἰνίγματι μόνῳ τινὶ καὶ παραδείγματι χρώμενοι, τὰ λοιπὰ παραλίπωμεν οἷον Λακεδαιμόνιοι Φιλίππῳ, Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ* e. q. s.

Hi igitur scholiastae pro sua consuetudine nomine auctoris non adscripto excerpserunt librum de eloc. Quem satis veterem esse secundum eorum sententiam ex locis quos supra proposuimus intellegitur.

Dionysio Halicarnassensi tribuit librum scholiasta Aristophanis (cfr. supra p. 2). Cui nemo assentiri potest, nisi qui est imperitissimus et Dionysii et libri de elocutione et totius artis rhetoricae. Neque difficile est causam invenire qua illud

---

*) Eundem esse Anonymum intellegitur ex his ipsis locis; cfr. Spengel t. III praef. p. X. Demetrii libro praeterea usus est W. VIII p. 621 (Sp. III p. 113); cfr. Dem. § 45. — Definitionem enthymematis Demetrii § 30: *τὸ δ' ἐνθύμημα διάνοιά τις ἤ τοι ἐκ μάχης λεγομένη ἐν ἀκολουθίας σχήματι* descripsit W. VIII p. 619 (Sp. III p. 111) et W. VII p. 762. Jure dicit Finkhius (In Demetrii rhetoris de elocut. libellum observat. criticae. Heilbr. 1841. p. 3, 4.) Demetrii loco quem corruptum iam legit Anonymus excidisse *ἤ* post *λεγομένη.*

factum esse putemus. Cum enim eius rhetoris aetate Byzantinorum summa esset gloria (cfr. W. VI p. 17, VII 893 al. loc.), accidit ut ei libri arrogarentur de quorum scriptoribus dubitatio et suspicio erat orta, velut libellus de sublimitate, Artis rhetoricae Ps.-Dionysii capita I—VII, liber de elocutione. Neque cuiquam est ignotum idem contigisse multis aliis viris qui magna erant in sua arte auctoritate.

His igitur locis certo liber de elocut. significabatur, sed aut prorsus nullum apponebatur nomen aut falsum; iam ea sequuntur testimonia quibus Demetrius Phalereus scriptor libri de elocutione nominatur.

Atque primo quidem loco est commemorandus codex Parisinus bybliothecae nationalis n. 1741, saeculi XI*). quo cum multa alia scripta rhetorica tum liber de elocutione continetur. Est autem inscriptus *Δημητρίου Φαληρέως περὶ ἑρμηνείας ὅ ἐστι περὶ φράσεως.* Nec temere ab eo qui hunc librum descripsit eum titulum esse impositum intellegitur inde quod ad § 289 in margine est adnotatum: *σημείωσαι τί τὸ λεγόμενον, ποῖος Δημήτριος καὶ τίς ὁ τάδε γράφων*; (cfr. Sp. Rh. Gr. III praef. XVI).

Ceterorum codicum quibus liber de elocutione continetur nulla in hac re est auctoritas; omnes enim ex hoc Parisino viris doctis fluxisse videntur.

Aliis deinde testimoniis Demetrius aut adiecto aut omisso cognomine Phalerei *περὶ ἑρμηνείας* librum conscripsisse traditur.

Theophylactus, Bulgariae s. XI. archiepiscopus in epistula quadam ad Romaeum Theophylactum scribit (Meursii opera a Lamio collecta vol. VIII p. 987) *Εἰ δὲ τὰ τοῦ Περιπάτου σπουδάζεις καὶ τὸν δαιμόνιον Ἀριστοτέλη αὐχεῖς, τί τὴν γλῶτταν ἐπέχεις καὶ ἀποποιεῖς σοῦ τὰ πάτρια, οὐ γὰρ ἐκείνου τοῦ κορυφαίου θιασῶται Θεόφραστος καὶ Δημήτριος, ὧν ὁ μὲν ἀπὸ τοῦ θειότερον*

---

*) H. Usener: de Dionysii Halicarnassensis libris manuscriptis. Bonnae 1878. p. IV: Insunt in eo codice haec: I. Dionysii ars rhetorica. II. Menandri ars demonstrativi generis. III. Aristidis artis rhetoricae libri II. IV. Dionysii de Thucydide epistula ad Ammaeum. V. Alexander de figuris. VI. Aristotelis artis rhetoricae libri III. VII. eiusdem poëtica. VIII. Dionysius de compositione verborum. IX. Demetrius de elocutione. X. Apsinis ars (cum Longino contaminata). XI. Minucianus de argumentorum sedibus. XII. Maximus sophista de obiectionibus insolubilibus. XIII. anonymus de statibus e. q. s. —

φράζειν ἔλαχεν, ὁ δὲ Φαληρεὺς καὶ περὶ ἑρμηνείας λόγον συνταγμάτιον σπουδαῖον ἐξήνεγκεν.

Ammonius deinde Hermiae filius in scholiis ad Aristotelis librum *περὶ ἑρμηνείας* ita dicit (Arist. op. ed. Acad. Reg. Ber. vol. IV p. 96^{b}): *Οὐ γὰρ δὴ καὶ αὐτὸς καθάπερ ὁ Δημήτριος τὸ περὶ λογογραφικῆς ἰδέας βιβλίον συγγράψας καὶ οὗτος* (scil. Aristoteles) *αὐτὸ ἐπιγράψας περὶ Ἑρμηνείας ἀξιοῖ καλεῖν ἑρμηνείαν τὴν λογογραφικὴν ἰδέαν, ὡς δὴ περὶ ταύτης ἐν τῷ προκειμένῳ βιβλίῳ διαλεξόμενος.* Quo loco etsi non appositum est cognomen Phalerei, mente tamen esse addendum, mihi persuasi. Primum enim Demetrius Phalereus est Demetrius *κατ᾽ ἐξοχήν* ut ita dicam, illum unum ex multis Demetriis qui litteris operam dederunt cognomine omisso Demetrium vocare licuit. Deinde ex comparatione inter Aristotelem et Demetrium eo loco instituta colligi potest, non ignobilem quemdam hominem ab philosopho intellegi. Demetrium vero Alexandrinum, qui sub Antonino philosopho vixit, ab Ammonio significari falso existimaverunt viri docti; scripsit enim hic Diogene Laertio auctore (cfr. supra p. 2) *τέχνας ῥητορικάς*, qui titulus neque congruit cum Ammonii verbis neque cum libro de quo scribimus, quem ipsum illam artem rhetoricam esse viri docti voluerunt; est enim *ἑρμηνεία* sive *λογογραφικὴ ἰδέα* parva artis rhetoricae pars.

Quod autem Diogenes Laertius eius libri in indice librorum Demetrii non facit mentionem, non mihi videtur mirum. Dicit enim is auctor haec de numero scriptorum Demetrii V 80: *Πλήθει δὲ βιβλίων καὶ ἀριθμῷ στίχων σχεδὸν ἅπαντας παρελήλακε τοὺς κατ᾽ αὐτὸν περιπατητικοὺς εὐπαίδευτος ὢν καὶ πολύπειρος παρ᾽ ὁντινοῦν. ὧν ἐστι τὰ μὲν ἱστορικὰ τὰ δὲ πολιτικὰ τὰ δὲ περὶ ποιητῶν τὰ δὲ ῥητορικὰ δημηγοριῶν τε καὶ πρεσβειῶν* e. q. s. Jam si sequentem librorum indicem contuleris cum aliorum philosophorum indicibus, velut Theophrasti, partem tantum scriptorum Demetrii ab Diogene enumerari concedes.

His igitur testimoniis Demetrius Phalereus traditur scripsisse librum *περὶ ἑρμηνείας*; iam nostrum erit investigare, num illis fides sit abroganda. Quam quaestionem eo quem supra indicavi ordine persequar.

Caput alterum.

De aetate praeceptorum rhetoricorum quae libro *περὶ ἑρμηνείας* continentur.

Scriptor libri de elocutione quattuor dicendi genera proponit *μεγαλοπρεπές γλαφυρόν ἰσχνόν δεινόν*, ceteri rhetores quorum quidem exstant de hac re praecepta omnes tria, quae sunt aut *ἁδρόν ἀνθηρόν ἰσχνόν* aut *ἁδρόν ἰσχνόν μέσον*. Concinunt igitur fere, ut nunc *μέσον* genus mittam, haec ceterorum rhetorum tria genera cum tribus prioribus libri de elocutione, cuius quartum nusquam commemoratur ab ceteris. Hanc rem omnium summi esse momenti ad aetatem libri definiendam neminem fugere potest; de ea igitur primum disputare mihi in animo est.

Δεινότης ea est virtus qua terretur et concitatur audientium animus, ea utuntur oratores cum irascuntur, cum convincunt, cum vituperant et accusant. Cfr. § 283 *πᾶσα δὲ ἔκπληξις δεινόν, ἐπειδὴ φοβερόν.* Huius generis sunt *λοιδορίαι* §§ 288, 301, 241; *κατηγορίαι* § 27. *ψόγοι* §§ 301, 291, *ὀνειδίζειν* 289, *ἐπιτιμᾶν* 294, *ἐλέγχειν* 290, 279, *ἀγανακτεῖν* 250, *ὀργίζεσθαι* 300, *ἐκφοβεῖν* 8. Idem atque *δεινότης* significat vox *σφοδρότης* §§ 241, 274, 8, 7. Cfr. § 8 *τὸ θυμικὸν καὶ σφοδρόν.* Huic dicendi generi contraria est tranquilla iocosa et simplex oratio: §§ 270, 8 *διήγημα.* 269 *πραότης.* 250 *παίζειν.* 300 *παίζειν καὶ ἐπιδείκνυσθαι.* 279, 8 *διδάσκειν.* 244 *ἁπλοῦν καὶ χρηστοήθεια.* Qui vero commotus est animo et audientium animos commovere vult, eius oratio non leniter fluit, sed aestuat atque naturalem quemdam desiderat colorem et nata, non arte facta vult videri. § 300 *καὶ γὰρ τὸ ἀφρόντιστον αὐτὸ καὶ τὸ ὥσπερ αὐτοφυὲς δεινότητα παραστήσει τινά.* 274 *κάλλος γὰρ καὶ ἀκρίβεια ἐν τούτοις ἐμφαίνεται, ἡ δὲ δεινότης σφοδρόν τι βούλεται καὶ σύντομον καὶ ἔγγυθεν πλήττουσιν ἔοικεν.* § 27 *ἡ γὰρ ὁμοιότης ἡ περὶ τὰ κῶλα καὶ ἀντίθεσις ἐκλύει τὴν δεινότητα διὰ τὴν κακοτεχνίαν. θυμὸς γὰρ τέχνης οὐ δεῖται, ἀλλὰ δεῖ τρόπον τινὰ αὐτοφυᾶ εἶναι ἐπὶ τῶν τοιούτων κατηγοριῶν καὶ ἁπλᾶ τὰ λεγόμενα.* Sunt igitur in hoc genere vitanda contrarie relata quae diligentiam loquentium indicant. §§ 27, 247, 250. Convenit deinde aspera compositio qua rerum acerbitas augeatur

§§ 246, 255 seq.; brevitas orationis placet §§ 7, 243, 241, 274 et significationes obscurae § 254. — Quibus dictis apparet hoc genus non esse aptum philosophis aut rerum scriptoribus aut poëtis, sed esse oratorum forensium: non enim legentium sed audientium animus atque praesentium eis rebus atque verbis quae *δεινότης* desiderat commoventur. Cum igitur in ceteris dicendi generibus scriptor libri de eloc. oratoribus paene nullum locum dedisset, in hoc quarto genere omnia fere exempla ex orationibus forensibus sunt petita.

Neque vero solum sententiis et verbis movet orator sed maxime quidem actione et pronunciatione (cfr. Cic. de orat. III § 213); haec igitur dicitur ipsa quoque *δεινότης*. § 271 *Καθόλου δὲ τῆς λέξεως τὰ σχήματα καὶ ὑπόκρισιν καὶ ἀγῶνα παρέχει τῷ λέγοντι, μάλιστα τὸ διαλελυμένον, τουτέστι δεινότητα.*

Eandem sententiam de natura eloquentiae civilis ex ceteris rhetoribus unus profert Aristoteles: is enim scribit A. Rh. III cap. 12 *ἡ μὲν οὖν δημηγορικὴ λέξις καὶ παντελῶς ἔοικε τῇ σκιαγραφίᾳ· ὅσῳ γὰρ ἂν πλείων ᾖ ὁ ὄχλος, ποῤῥώτερον ἡ θέα· διὸ τὰ ἀκριβῆ περίεργα καὶ χείρω φαίνεται ἐν ἀμφοτέροις.* ib. *ὅπου μάλιστα ὑποκρίσεως, ἐνταῦθα ἥκιστα ἀκρίβεια ἔνι. τοῦτο δὲ ὅπου φωνῆς καὶ μάλιστα ὅπου μεγάλης.* in initio eius cap. *ἔστι δὲ λέξις γραφικὴ μὲν ἡ ἀκριβεστάτη· ἀγωνιστικὴ δὲ ἡ ὑποκριτικωτάτη·* cap. 7. *τὰ δὲ ὀνόματα τὰ διπλᾶ καὶ τὰ ἐπίθετα πλείω καὶ τὰ ξένα μάλιστα ἁρμόττει λέγοντι παθητικῶς· συγγνώμη γὰρ ὀργιζομένῳ κακὸν φάναι οὐρανόμηκες* e. q. s. cap. 11 sub fin. *εἰσὶ δὲ ὑπερβολαὶ μειρακιώδεις· σφοδρότητα γὰρ δηλοῦσιν. διὸ ὀργιζόμενοι λέγουσι μάλιστα... χρῶνται δὲ μάλιστα τούτῳ οἱ Ἀττικοὶ ῥήτορες· διὸ πρεσβυτέρῳ λέγειν ἀπρεπές.* Nec maiorem diligentiam et artem in eloquentia civili desiderasse Theophrastum inde mihi est verisimile quia huic videbatur esse Demosthenes *ἄξιος τῆς πόλεως*, Demades autem *ὑπὲρ τὴν πόλιν* (Plut. Demosth. cap. 10), cuius oratio sprevit artem et naturalem fucum captavit. Neque aliter de Demosthene et Demade videtur censere scriptor libri de elocutione qui quamquam saepe ex Demosthenis orationibus exempla sumit, nusquam tamen eum diserte laudat, aperte autem vituperat § 250 (*κακοτεχνοῦντι γὰρ ἔοικε* e. q. s.): Demadem autem cuius dicendi genus describit §§ 282—6, quin admiretur non est dubium.

Consentit igitur scriptor libri de elocutione cum Aristotele atque, ut mihi quidem videtur, cum Theophrasto, non tam arte et praeceptis sed natura magis et indole contineri vim eloquentiae

civilis; cum qua sententia artissime cohaeret vis vocis *δεινότης* qualem descripsimus ex Demetrii verbis.

Prorsus alia est sententia ceterorum rhetorum qui exstant de natura eloquentiae. Summam enim artem et diligentiam in veteribus oratoribus invenire sibi videbantur neque ut apud Demetrium et Aristotelem iuxta vel potius infra ceteras litterarum partes ducitur forensis eloquentia, sed omnium haec iis est summa et gravissima. Demadis autem in quo artem non inveniri manifestum erat memoria posteriore aetate satis est oblitterata; facetum eum fuisse memorant. Pro qua sententia notio vocis *δεινότης* quae apud posteriores quoque rhetores est virtus oratorum maximeque summi oratoris Demosthenis prorsus est alia atque apud Demetrium ac paene contraria. Id enim significat ea vox quod summa arte factum est; cfr. Dion. Halic. p. 435 *δοκῶν ἁπλοῦς οὐκ ἀπήλλακται δεινότητος*; p. 776 opponuntur inter se *τὸ κατὰ φύσιν* et *τὸ δεινόν*, mitto alios locos. Quod si ita est, non potest esse *δεινότης* ex sententia posteriorum rhetorum quartum dicendi genus, sed omnia genera eo includi necesse est idque demonstrat Dionysius Halicarnassensis libro q. i. *περὶ τῆς Δημοσθένους δεινότητος*; Hermogenes deinde dicit *δεινότητα* comprehensionem et usum communem earum quas persequitur virtutum sive idearum. Vestigia autem veteris significationis rhetoricae vocis *δεινότητος* remanent apud Dionysium, cfr. p. 482, 793, 786. Hermogenes, quem aequalem esse volunt viri docti scriptori libri de eloc., nusquam ea qua hic scriptor sententia utitur voce illa.

Illa autem perterrendi et concitandi vis quae erat *δεινότης* Demetrio, ab Cicerone primo dicendi generi quod *ἁδρόν* vocant Graeci in Oratore §§ 97 seq. tribuitur; ab Dionysii generibus prorsus abest illa vis.

Diximus supra Demetrium oratorum in tribus prioribus generibus rationem paene nullam habere, ex sententia autem rhetorum posteriorum oratorem illa genera tria complecti; quod si verum est, ea quoque genera quae communia sunt libro de eloc. cum ceteris rhetoribus multum ab his differre est necesse. Atque p r i m i quidem g e n e r i s Demetrii quod *μεγαλοπρεπές* vocat sententiae (§§ 75, 76) singula verba (§§ 77—113) eorumque compositio (§§ 38—74) ita sunt comparata, ut prorsus abhorreant ab orationibus palam pronuntiandis; historiae magis conveniunt poësique epicae. Ceteri rhetores id genus, quod vocant *αὐστηρόν*, *ὑψηλόν*, *ἁδρόν*, quibus vocibus nusquam utitur Demetrius, varie

describunt; cum Demetrio autem maxime concinit Dionysii genus grave.

Demetrii secundum genus quod dicit *γλαφυρόν* lyricorum maxime est et comicorum (§ 128). Eius duo sunt genera: *τῶν δὲ χαρίτων αἱ μέν εἰσι μείζονες καὶ σεμνότεραι, αἱ τῶν ποιητῶν, αἱ δὲ εὐτελεῖς μᾶλλον καὶ κωμικώτεραι* § 128; proprium autem nomen prioris generis est *εὔχαρι*, posterioris *γελοῖον*, cfr. §§ 163 seq., 173. Similem partitionem videtur significare Aristoteles A. Poët. cap. 4: *οἱ μὲν γὰρ σεμνότεροι τὰς καλὰς ἐμιμοῦντο πράξεις καὶ τὰς τῶν τοιούτων, οἱ δὲ εὐτελέστεροι τὰς τῶν φαύλων.* Utrique generi communes sunt ei loci verborum et rerum*) quos eleganter et subtiliter explicat Demetrius §§ 137—162. Iis quae sequuntur paragraphis 163—178 exponit quod discrimen intersit inter utrumque genus. — De compositione generis floridi scriptor negat § 179 se quicquam invenisse in superiorum libris; neque id mihi videtur mirum. Namque ea quae de hoc genere disputavit certo sunt hausta ex iis libris quos Aristoteles Theophrastus ac fortasse alii eiusdem aetatis philosophi de iis rebus composuerunt (*περὶ χάριτος, περὶ ποιητικῆς, περὶ κωμῳδίας, περὶ γελοίων*); quibus libris usum poëtarum solum eos esse persecutos orationisque pedestris numerum — hanc enim compositionem Demetrius eo loco intellegit. cfr. §§ 179—185 — prorsus neglexisse consentaneum est.

Hoc genus orationis plurimi ceterorum rhetorum non commemorant. velut Dionysius; alii describunt genus *ἀνθηρόν* qua voce nusquam utitur Demetrius, sed ne umbra quidem verae venustatis in eo genere remanet; neque id mirum quoniam eloquentiae civili minime ea venustas est accommodata. Magis cum illo Demetrii genere concinunt eae disputationes quas Anaximenes (cap. 22) et Aristoteles (A. Rh. III cap. 10 seq.) de urbanitate (*ἀστειολογίᾳ ἀστείοις*) instituunt; cfr. Cic. de Or. II §§ 216 seq. Quintil. Inst. Or. VI. cap. 3. Ex singulis rebus multae a posterioribus rhetoribus inter figuras numerantur; sed

*) Si recte statuunt viri docti Anonymum de comoedia qui dicitur (Cram. Anecd. Par. I p. 403) usum esse Aristotelis libro de arte poëtica, eius partitionis auctor est hic philosophus. Cfr. Anon. §§ 2, 3. *γίνεται δὲ ὁ γέλως ἀπὸ τῆς λέξεως . . . ὁ ἐκ τῶν πραγμάτων γέλως* . . . — Eandem partitionem sequitur Cicero in ea disputatione quam de Or. II §§ 235 seq. de risu instituit. Cfr. § 239: „Duo sunt enim genera facetiarum. quorum alterum re tractatur, alterum dicto.“

quoniam sunt abscissae ab venustate atque ex iusto rerum ordine dissolutae, nihil prioris elegantiae retinuerunt. Compositio eius generis de qua primum se disputare Demetrius diserte dicit § 179 *οὐδὲ γὰρ τῶν πρὶν εἴρηταί τινι περὶ γλαφυρᾶς συνθέσεως* ceteris rhetoribus est notissima; sed hic quoque rerum ordo est immutatus. Namque Cicero eam compositionem tribuit generi gravi Or. § 20 „Nam et grandiloqui ut ita dicam fuerunt cum ampla et sententiarum gravitate et maiestate verborum vehementes varii copiosi graves, ad permovendos et convertendos animos instructi et parati; quod ipsum alii aspera tristi horrida oratione neque perfecta neque conclusa alii levi et structa et terminata“. Accurate describit floridam compositionem Dionysius in libro de compositione verborum, quo asperam et tristem Ciceronis compositionem *αὐστηράν* dicit, levem et terminatam *γλαφυράν* sive *ἀνθηράν*.

Generi venusto vicinum et finitimum est *τὸ κακόζηλον*, qua voce recentem libri aetatem confirmari editores Demetrii existimaverunt; esse enim ignotam Dionysio Halicarnassensi. At Schneiderus ipse qui hoc adnotat, in Seneca rhetore qui aequalis fere fuit Dionysio eam vocem invenit; deinde librum conscripsit *περὶ κακοζηλίας ῥητορικῆς* ante Dionysium Neanthes discipulus Philisci Milesii; is autem Isocratem audiverat.

Tertium genus est *ἰσχνόν*, quod Demetrius *εὐκαταφρόνητον* esse ait § 207; eloquentiae civili illud non est aptum; eam enim orationem in eo commendat scriptor quae contraria est pronunciationi § 192. Alia est natura generis tenuis quod ceteri rhetores describunt, cum qua re cohaeret iudicium de Lysia oratore. Is enim tribus locis §§ 128, 190, 262 a Demetrio sane commemoratur, neque vero ullo loco eius oratio describitur, quam non magni illum aestimasse ex hac ipsa re intellegitur. Posteriores rhetores summis laudibus eum oratorem efferunt; erant qui neminem melius locutum esse sibi persuaderent, quos Atticos dicit Cicero. Dionysio optima nota orationis Lysiacae videtur venustas (*χάρις*) p. 481/2. De Caecilio cfr. lib. *περὶ ὕψους* cap. 32 § 8. Quae vero hi rhetores exponunt de Lysia ea omnia cadunt in genus tenue; est enim ex eorum sententia unum idemque hoc genus et genus dicendi Lysiae. Cfr. Dion. p. 983 *Λυσιακὸς δ' ἂν εἰκότως λέγοιτο* (scil. *ὁ ἀκριβὴς καὶ καθαρὸς χαρακτήρ*). Cicero igitur non parvam huic generi tribuit venustatem (Or. § 78 al. loc.); Varro (Gell. N. A. VII 14) hunc *χαρακτῆρα* gracilem vocat, cui venustas

sit et subtilitas. Brevitatem deinde dicendi et in Lysia admirabantur et in hoc genere requirebant omnes; contra Demetrius venustatem et brevitatem ab tenui genere abesse vult §§ 211 seq., 197.

Comparavi igitur, sicut fieri poterat brevissime, Demetrii genera cum ceteris rhetoribus atque satis mihi videor demonstrasse his illa esse antiquiora. Quae genera priusquam relinquam, pauca addam de figurato sermone qui finitimus est quarto generi et de epistulari genere quod inter tenue collocatur et venustum.

Diximus supra ad quartum genus dicendi pertinere vituperationes et accusationes omnesque eas res quibus indignantur homines. Neque vero semper atque omnibus locis oratori licet illas res aperte proferre, sed ne laedat audientium animos occulte dicet et figurabit orationem, quem ductum vocant Romani, Graeci *λόγους ἐσχηματισμένους* (Dem. §§ 287 seq.); pertinent huc aliae quoque res quas posteriores inter figuras aut tropos numerant, velut *εὐφημισμός* et *εἰρωνεία*. Quod si quis eas res quas occultari par est, velut res obscenas, dilucide et plane aperit, in id vitium incidit quod finitimum est quarto generi, quod *ἄχαρι* dicit Demetrius § 302. Eae igitur res quae apud posteriores rhetores sunt passim disiectae atque alio ab aliis referuntur, eleganter atque subtiliter conexae sunt in libro de elocutione.

Demetrii de figurato sermone disputatio incipit ab his verbis § 287: *τὸ δὲ καλούμενον ἐσχηματισμένον ἐν λόγῳ οἱ νῦν ῥήτορες γελοίως ποιοῦσι καὶ μετὰ ἐμφάσεως ἀγεννοῦς ἅμα καὶ οἷον ἀναμνηστικῆς, ἀληθινὸν δὲ σχῆμά ἐστι λόγου μετὰ δυοῖν τούτοιν λεγόμενον, εὐπρεπείας καὶ ἀσφαλείας.* Solebant igitur eius aetatis oratores figurare orationem illiberali et admonitoria significatione; quae ratio non probatur Demetrio. Ea quoque paragrapho recentem libri aetatem indicari eius editores existimaverunt, quo nihil falsius potest cogitari. Quamquam enim saepenumero et fuse posteriores rhetores de sermone figurato disputant (Dion. Hal. A. Rh. cap. 8, 9. Aristid. Sp. II p. 524. Hermog. Sp. II p. 258. Apsin. I p. 407. Joseph. Rhakend. W. III p. 515. Anon. Sp. III p. 118. Quintil. IX. 2, 66 seq.), tamen nihil in eorum disputationibus invenitur, quod possit conferri cum Demetrii verbis. Iam haec ita explicantur ab Anaximene rhetore antiquissimo, ut vix aliter liceat statuere nisi non multum distare scriptorem libri de elocutione ab hoc rhetore. Anaxim. cap. 21. *εἰρωνεία δέ ἐστι λέγειν τι μὴ προσποιούμενον λέγειν, ἢ τοῖς ἐναντίοις ὀνόμασι τὰ πράγματα προσαγορεύειν. εἴη δ' ἂν αὐτῆς τὸ σχῆμα*

τοιοῦτον ἐν τῷ περὶ τῶν εἰρημένων συντόμως ἀναμιμνήσκειν; sequitur hoc exemplum *οὐδὲν δ' οἶμαι δεῖν λέγειν ὅτι οὗτοι μὲν οἱ φάσκοντες πολλὰ ἀγαθὰ πεποιηκέναι πλεῖστα φαίνονται τὴν πόλιν κεκακουργηκότες* e. q. s. Unde intellegitur cur *ἀναμνηστικήν* dicat Demetrius illam *ἔμφασιν* et *ἀγεννῆ*. — Obiter deinde moneo ea quae § 291 Demetrius de figurato sermone explicat prorsus concinere cum Isocratis Ponathenaico § 240.

Genus epistulare §§ 223—235 ab Demetrio describitur. Atque primum quidem refutat Artemonem qui epistularum eundem sermonem esse dixerat atque dialogorum rationibus ex natura epistularum et dialogorum petitis; deinde ea qua assolet subtilitate atque elegantia praecepta edit de epistulis scribundis quae illustrat exemplis ex epistulis Aristotelis sumptis. Iam de Artemone, qui ab Demetrio § 223 dicitur *ἀναγράψας τὰς Ἀριστοτέλους ἐπιστολάς* (cfr. Ar. op. ed. Ac. Boruss. t. V p. 1472^{b}, IV p. 24^{a}) et toto epistulari genere haec dicit Walzius praef. p. V: „Aristoteliarum epistularum collectionem iam Demetrii Phalerei temporibus exstitisse omni antiquitatis traditioni adversatur; si vero etiam hoc concedas, tamen epistolarum scribendarum institutiones, quales ab Artemone scriptas esse ex nostro loco intellegimus, non Demetrii Phalerei aetati, sed recentiorum sophistarum studiis conveniunt.“ Equidem non intellego, cur non aliquis proxime post Aristotelis mortem eius epistulas potuerit colligere, immo in hoc ipso litterarum genere maxime illud est probabile; neque hoc mihi persuasit Walzius Demetrii Phalerei aetate, qua peculiare litterarum genus epistularum fuisse nemo negaverit, de his praecepta non potuisse proponi; certe ea quae ab scriptore libri de elocutione docentur non redolent „recentiorum sophistarum studia“, sed optimam et antiquissimam eruditionem; a qua quantum recesserit recentior aetas, intellegitur ex iis opusculis, quae Hercherus praemisit epistularum graecarum collectioni.

Huic disputationi de qualitatis, ut ita dicam, generibus dicendi subiungam genera quantitatis *συντομίαν* et *διλογίαν*. *Συντομία* igitur sive *τάχος* (§ 137) sive *βραχυλογία* (§ 243; cfr. §§ 7, 8, 213) est insolita orationis brevitas quae efficit et gravitatem (§ 103) et venustatem (§§ 137/8) et ieiunitatem (§ 103) et acrimoniam (§§ 7, 242/3, 253). Cui est contraria *διλογία* (*διλογεῖν* § 267, cfr. 66, 140) sive *μῆκος* (§§ 274, 137 *μηκύνειν*) sive *μακρολογία* (§ 7, cfr. 222) quae ipsa quoque in omnibus dicendi generibus invenitur; conferantur praeter eos quos modo attuli locos, §§ 211—14, 103,

197, 209, 280. Vocem *διλογία* in ceteris rhetoribus me legere non memini, sed hi eandem rem aut vocant *μακρολογίαν*, velut Anaximenes et Aristoteles, aut *πλεονασμόν*, sicut inde ab Dionysio omnes rhetores Graeci, aetate autem Aristotelica haec vox ab technologia rhetorica videtur fuisse aliena; quae res non parvi est momenti ad aetatem libri de elocutione definiendam. — His formis dicendi respondent antiquissimorum rhetorum et sophistarum *μακρολογία* et *βραχυλογία* sive *συντομία*; eas enim docebant Tisias Gorgias Protagoras Platone auctore. Phaedr. 267 A. *Τισίαν δὲ Γοργίαν τε ἐάσομεν εὕδειν οἳ . . . συντομίαν τε λόγων καὶ ἄπειρα μήκη περὶ πάντων ἀνεῦρον.* Protag. 335 B *Σύ* (scil. Protagoras) *μὲν γὰρ ὡς λέγεται περὶ σοῦ, φῂς δὲ καὶ αὐτός, καὶ ἐν μακρολογίᾳ καὶ ἐν βραχυλογίᾳ οἷός τ' εἶ συνουσίας ποιεῖσθαι· σοφὸς γὰρ εἶ.* 334. D. E. Phaedr. 268 C. 272 A. Gorg. 449 A. Prodicus mediam viam ingressus *δεῖν οὔτε μακρῶν οὔτε βραχέων ἀλλὰ μετρίων* putavit. Phaedr. 267 B. Quos secutus Anaximenes cap. 22 explicat quid sit *μηκύνειν τοὺς λόγους*, quid *βραχυλογεῖν*, quid *μέσως λέγειν*. Aristotelis deinde A. Rh. III cap. 6 de brevitate (*συντόμῳ*) verba facit, eique opponit gravitatem (*ὄγκον*). Cfr. Sp. Rh. Gr. I p. 153 cap. 15, p. 147 cap. 14, p. 154 cap. 16, p. 158 cap. 17, p. 160 cap. 18. Neque neglectas esse eas formas ab Theophrasto intellegitur ex eo fragmento quod tradit Aristotelis scholiasta (Ar. op. ed. Ac. Bor. vol. IV p. 108[b], cfr. 94[a]): *Ἔργον αὐταῖς* (scil. *τῇ ποιητικῇ* et *τῇ ῥητορικῇ*) *ἐκλέγεσθαι τὰ σεμνότερα τῶν ὀνομάτων . . . καὶ ταῦτα ἐναρμονίως συμπλέκειν ἀλλήλοις, ὥστε διὰ τούτων καὶ τῶν τούτοις ἑπομένων, οἷον σαφηνείας γλυκύτητος καὶ τῶν ἄλλων ἰδεῶν, ἔτι δὲ μακρολογίας καὶ βραχυλογίας κατὰ καιρὸν πάντα παραλαμβανομένων ἧσαί τε τὸν ἀκροατὴν καὶ ἐκπλῆξαι καὶ πρὸς τὴν πειθὼ χειρωθέντα ἄγειν.* Cfr. denique Thucyd. l. II cap. 35. — Ex ceteris rhetoribus earum formarum praeter Demetrium unus memor est Fortunatianus (Rhet. lat. ed. Halm p. 126) qui *πηλικότητος* genera ea vocat.

Haec igitur quantitatis genera dicendi ita cum qualitatis generibus (dico *μεγαλοπρεπές* et cetera) in libro de elocutione contexta et coniuncta inveniuntur, ut ex his unumquodque et longitudinem et brevitatem dicendi accipiat. Quod prorsus est contra posteriorum rhetorum sententiam; velut tenue genus secundum hos semper est breve, numquam longum et dilatatum. Videntur autem primo aspectu respondere illis formis ex virtutibus, quas posteriores rhetores persequuntur, *συντομία* et *πλεονασμός* vel *περιβολή*; at hae nusquam ab iis ita inter se opponuntur aut eo rerum conexu et ea ratione describuntur, ut possint conferri cum antiquissimorum rhetorum et Demetrii *βραχυλογίᾳ* et *μακρολογίᾳ*. Magis etiam ab iis abhorrent eae figurae et tropi quibus a posterioribus illa nomina imponuntur; cfr. Sp. Rh. Gr. III p. 202, 198, 32. Vestigia autem veteris *βραχυλογίας* et *μακρολογίας* invenire mihi videor in figurarum divisionibus. Quattuor scilicet genera plerique statuunt rhetores, quae fiunt per *ἔνδειαν πλεονασμόν μετάθεσιν ἐναλλαγήν*; antiquior autem ea videtur mihi partitio, quae brevitatem et longitudinem solam amplectitur. Ea utitur Dionysius Halic. p. 47. *Ἀλλὰ μὴν ὅτι γε καὶ μετασκευὰς δέχεται τῶν κώλων ἔνια τοτὲ μὲν προσθήκας λαμβάνοντα οὐκ ἀναγκαίας ὡς πρὸς τὸν νοῦν, τοτὲ δ' ἀφαιρέσεις ἀτελῆ ποιούσας τὴν διάνοιαν . . . πολὺ ὀλίγου δεῖν οἴομαι λόγου*, quae verba ad figuras pertinere intellegitur ex iis quae sequuntur. Cfr. p. 42. — Ex sententia quoque scriptoris libri de elocutione ratio contrahendae dilatandaeque orationis figuris maxime continetur neque aliter esse posse natura rei docet.

In hac igitur quoque disputatione quam instituimus de ratione fuse breviterque dicendi librum de elocutione veteribus rhetoribus adnumerare cogebamur, nihil enim habebat commune cum recentibus.

Generum dicendi secundum scriptorem de elocutione tres sunt partes: continentur enim aut rebus sive sententiis aut verbis singulis aut eorum compositione. Ea divisio inde ab Theophrasti aetate usque ad Dionysium atque Caecilium fuit usitata, et in tota elocutione et in generibus dicendi et in virtutibus. Auctum numerum videmus in libro q. i. *περὶ ὕψους*; cuius scriptor affectui (*πάθει*) et figuris peculiarem dedit locum. Prorsus alia ratio elocutionis pertractandae invenitur in Aristidis mutila et perturbata arte, qui singularum virtutum partes esse vult *γνώμην* quae est superiorum rhetorum *διάνοια*; *σχῆμα* quae sententiarum sunt figurae cfr. Sp. Rh. Gr. II p. 464: *ἡμῖν δὲ νῦν ὁ λόγος περὶ αὐτοῦ μόνου τοῦ σχήματος, καὶ ταῦτα τοῦ κατ' ἔννοιαν μόνου*; tertia pars est *ἀπαγγελία*, verborum delectus; compositionis vero in singulis virtutibus rationem habuit nullam. Plures partes elocutionis statuuntur ab Aristide posteriore artis rhetoricae parte p. 515 seq. Ampliorem quam superiores partitionem exhibet Hermogenes; septem enim quas statuit virtutum partes sunt 1) *ἔννοια*, 2) *μέθοδος*, quae est Aristides *σχῆμα*, superiorum

rhetorum figurae sententiarum, id quod intellegitur et ex Hermogenis disputatione et ex veterum testimoniis; cfr. Rh. Gr. W. III p. 537 *ἡ μέθοδος σχῆμά ἐστι τῆς διανοίας.* V 449, 456. VI 119. VII 900 etc. Cfr. Longin. Rh. Gr. Sp. I p. 310 *ὅσα δὲ σχήματα τῶν ἐννοιῶν ὠνόμασται, οἷον προδιόρθωσις . . . ἅπαντα ταῦτα οὔ μοι δοκεῖ δικαίως σχήματα καλεῖσθαι, ἀλλ' ἔννοιαι καὶ ἐνθυμήματα καὶ λογισμοὶ τοῦ πιθανοῦ χάριν καὶ τῶν πίστεων εἴδη.**) 3) *λέξις;* haec dividitur in a) *λέξιν* qui verborum singulorum est delectus, b) *σχήματα* (verborum figuras), c) *κῶλα*, d) *σύνθεσιν*, e) *ἀνάπαυσιν;* postremas partes superiorum compositio est complexa. Quamobrem posteriores rhetores hoc unum novaverunt in hac re, ut superiorum tres partes novis divisionibus augerent; res autem superioribus ignotas non excogitaverunt. Demetrii vero divisionem abhorrere ab aetate Antoninorum ex hac disputatione est perspicuum.

Atque primam quidem partem ex tribus quas persequitur scriptor libri de elocutione silentio nunc praeteribo; nihil enim certi inde de aetate libri potest enucleari; pauca afferam de altera parte, quae complectitur singula verba. Iam summi momenti est quod vox *τρόπος* de verborum exornationibus toto libro non invenitur; neve quis putet id factum esse fortuito, re vera eam vocem ignotam fuisse scriptori demonstrabo.

Inde ab paragrapho 137 persequitur Demetrius eam venustatem quae elocutione efficitur, cfr. supra p. 10. Iam § 142 incipit a verbis *Πολλὰς δ' ἄν τις καὶ ἄλλας ἐκφέροι χάριτας. γίγνονται δὲ καὶ ἀπὸ λέξεως χάριτες ἤγουν ἀπὸ μεταφορᾶς* . . . § 143 *ἢ ἐκ συνθέτου ὀνόματος καὶ διθυραμβικοῦ* . . . § 144 *καὶ ἐξ ἰδιωτικοῦ*

*) Quae esset natura *μεθόδου* Hermogenis, omnes viros doctos qui hanc rem attigerunt, adhuc praeteriit eamque ob causam maxime mihi videtur esse factum ut nova iis et superioribus rhetoribus ignota Hermogenis idearum doctrina videretur. Quam licet persequi per totam veterum artem rhetoricam inde ab antiquissimis temporibus; Dionysii aetate iam accuratissime erat enucleata et pertractata. Ab qua virtutum vel idearum doctrina sunt secernenda genera dicendi id quod viri docti adhuc non fecerunt (velut Volkmannus, Rhetorik p. 468 seq.). Rhetoribus aetatis imperatorum genera certo numero definita non placuerunt; plura enim esse putabant genera tenuiter scribendi, quam ut uno tenui possent comprehendi: perinde in ceteris generibus rem esse comparatam. Rh. Gr. W. VII p. 92 seq., VI 70 seq. Quamobrem Hermogenes postrema parte eius libri quem de ideis conscripsit, quam partem potuit inscribere *περὶ χαρακτήρων* (cfr. Walz. Rh. Gr. V 439 Cod. Ambr. VI p. 97 al. loc.) non tria illa superiorum rhetorum persequitur genera, sed singulorum scriptorum *χαρακτῆρας*. Cfr. Hermog. Sp. II p. 397, 424, 266.

δὲ ὀνόματος γίγνεται . . . § 145 *πολλὰ δὲ ὀνόματα καὶ παρὰ τὴν θέσιν τὴν ἐπί τινος χαρίεντά ἐστιν . . . Αἱ μὲν οὖν τοιαῦται χάριτες παρ' αὐτὰς τὰς λέξεις.* Facile intellegitur, commune quiddam his paragraphis contineri — suum enim iis est initium et finis — atque hoc ipsum esse commune quod singularum vocum venustas iis explicatur (*παρ' αὐτὰς τὰς λέξεις*). Namque iis quae antecedunt paragraphis 137—141 iisque quae sequuntur 146—155 elocutionis venustas ipsa quoque sane pertractatur, sed ea quae ex contextu verborum oritur (§ 137/8 *συντομία*, 139 *τάξις*, 140/1 *σχήματα*, 146/7 *παραβολή*, 148 *μεταβολή* e. q. s.). Ceteri quoque auctores saepenumero tropos singulis verbis contineri affirmant. .Cfr. Cic. Or. § 80, 134. Brut. § 69 „Ornari orationem Graeci putant, si verborum immutationibus utantur, quos appellant *τρόπους* et sententiarum orationisque formis quae vocant *σχήματα*". Quibus explicatis iure contendere mihi videor scriptum esse librum de elocutione priusquam vox *τρόπος* recepta sit in technologiam Graecorum rhetoricam.

Usus autem est hac voce ea quam nunc spectamus sententia Dionysius Thrax qui auctore Sexto Empirico (ed. Bekk. p. 655) grammaticorum esse dixit poëtarum tropos explicare.

Tropus optimus est *μεταφορά* de qua omnium optime disseruerunt Aristoteles et scriptor libri de elocutione. Transferendum igitur est aut ex eodem loco (*αὐτόθεν* § 78) quo continetur propria vox, aut ex propinquo (*ἐξ ὁμοίου*), si ex longinquo (*πόρρωθεν*) sumitur, frigida erit oratio aut affectata (§§ 116, 188). Eadem praecipit Aristoteles A. Rh. III cap. 2: *ἔτι δὲ οὐ πόρρωθεν δεῖ, ἀλλ' ἐκ τῶν συγγενῶν καὶ τῶν ὁμοειδῶν μεταφέρειν.* Ex maiore autem loco in inferiorem in transferendo oportet descendere (§ 84 *ἐκ τῶν μειζόνων μεταφέρειν εἰς τὰ μικρά*), vitanda est via contraria (§ 83). Consentit Aristoteles l. l.: *καὶ ἐάν τε κοσμεῖν βούλῃ, ἀπὸ τοῦ βελτίονος τῆς ἐν ταὐτῷ γένει φέρειν τὴν μεταφοράν, ἐάν τε ψέγειν ἀπὸ τῶν χειρόνων.* Optima deinde tralatio utrique videtur *ἡ κατ' ἐνέργειαν* (Dem. § 81. Ar. III cap. 11). — Verba autem Aristotelis (cap. 4 sub fin.) *αἰεὶ δὲ δεῖ τὴν μεταφορὰν τὴν ἐκ τοῦ ἀναλόγου ἀνταποδιδόναι καὶ ἐπὶ θάτερα καὶ ἐπὶ τῶν ὁμογενῶν· οἷον εἰ ἡ φιάλη ἀσπὶς Διονύσου, καὶ τὴν ἀσπίδα ἁρμόττει λέγεσθαι φιάλην Ἄρεως* corriguntur a Demetrio (§ 79): *οὐ πᾶσαι μέντοι ἀνταποδίδονται, ὥσπερ αἱ προειρημέναι, ἐπεὶ τὴν ὑπώρειαν μὲν τῆς Ἴδης πόδα ἐξῆν εἰπεῖν τὸν ποιητήν, τὸν δὲ τοῦ ἀνθρώπου πόδα οὐκέτι ὑπώρειαν εἰπεῖν.*

Huius optimae eruditionis vestigia pauca apud posteriores reperiuntur; quae ab his nova adduntur, inania sunt.

Ἐπιφώνημα quid sit, accurate §§ 106—111 exponitur. Alia est natura eius epiphonematis quod describunt Hermogenes Sp. II p. 252 et Theo II p. 91. Hermogenis autem scholiastae ad locum quem indicavi, solent commemorare sententiam ab Demetrio de ea exornatione prolatam eamque antiquam vocant. (Cfr. supra p. 4.)

Denique pauca nobis sunt dicenda de *ἀλληγορίᾳ* quia eam vocem recentem esse superiores existimaverunt. Omnium postremus de hac voce dicit Walzius praef. p. VI. „Vox *ἀλληγορία* legitur § 99, de qua quidem errant Ruhnkenius ad Tim. p. 200 et Fischerus Praef. Demetrii p. VII, e Plutarchi loco de aud. poët. p. 19 E. *οὓς* (sc. *μύθους*) *ταῖς πάλαι μὲν ὑπονοίαις, ἀλληγορίαις δὲ νῦν λεγομέναις, παραβιαζόμενοι καὶ διαστρέφοντες ἔνιοι κ. τ. λ.* concludentes, eam Plutarchi demum aetate usurpatam esse, sed tamen etiam F. A. Wolfius, qui Anal. liter. T. II p. 526. Ruhnkenium refellit, ante Ciceronem, apud quem vox *ἀλληγορία* bis legitur, neminem qui ea usus sit novit.“ Quae temere mihi dicta esse videntur. Ei enim qui exstant Alexandrinae aetatis scriptores, de eius modi rebus scripserunt, ut non mirum sit, quod in iis ea vox non invenitur, neque inde potest colligi eam illa aetate fuisse ignotam. Aristoteles sane vocem *ἀλληγορία* non novit. Cfr. Cic. Or. § 94 „Iam cum confluxerunt plures continuae tralationes, alia plane fit oratio; itaque genus hoc Graeci appellant *ἀλληγορίαν*, nomine recte, genere melius ille (scil. Aristoteles) qui ista omnia tralationes vocat“. Quamobrem hic philosophus cum eodem utatur exemplo, quo Demetrius in *ἀλληγορίᾳ*, aliis verbis hoc genus describit. A. Rh. II cap. 21: *Ἁρμόττει δ' ἐν τοῖς τοιούτοις καὶ τὰ Λακωνικὰ ἀποφθέγματα καὶ τὰ αἰνιγματιώδη· οἷον εἴ τις λέγοι ὅπερ Στησίχορος ἐν Λοκροῖς εἶπεν, ὅτι οὐ δεῖ ὑβριστὰς εἶναι, ὅπως μὴ οἱ τέττιγες χαμόθεν ᾄδωσιν.* III cap. 11. Cfr. Demetr. § 99: *Μεγαλεῖον δέ τί ἐστι καὶ ἡ ἀλληγορία καὶ μάλιστα ἐν ταῖς ἀπειλαῖς, οἷον ὡς Διονύσιος ὅτι οἱ τέττιγες αὐτοῖς ᾄσονται χαμόθεν. . . .* § 102 *καὶ οἱ Λάκωνες πολλὰ ἐν ἀλληγορίαις ἔλεγον ἐκφοβοῦντες οἷον τὸ Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ πρὸς Φίλιππον καὶ ἄλλα τοιαῦτα οὐκ ὀλίγα.* (Cfr. §§ 241—3.) Quibus paragraphis locum Aristotelicum scriptori ob oculos versari manifestum est. — Simulatque vero coeperunt rhetores tralationes continuas distinguere ab singulis, oportuit illi generi suum nomen

imponi; neque ullum simplicius inveneris quam *ἀλληγορίαν*. Quamobrem non intellego cur non potuerit ea vox esse probata Demetrio Phalereo.

De sono et singularum vocum et de eo qui verbis compositis oritur omnium rhetorum optime et accuratissime scriptor libri de elocutione disserit. Quorum praeceptorum pleraque ceteri rhetores silentio praetereunt, velut Dionysius, multi totam rem omittunt. Auctores in hac parte elocutionis Demetrio erant musici § 176, hique antiqui ut mihi videtur; namque recentioris aetatis musici quotquot exstant nihil de his rebus memoriae tradiderunt.

Iam deflexit disputatio nostra, ut indicavi, ad tertiam generum dicendi partem qua continentur praecepta verborum coniungendorum; in qua parte Demetrius persequitur ordinem et conglutinationem verborum, exornationes verborum et sententiarum, numerum orationis, incisa denique membra et periodos, ex quibus rebus eas persequemur unde aliquid colligi possit de libri *περὶ ἑρμηνείας* aetate.

Exornationes verborum et sententiarum (*σχήματα λέξεως* et *διανοίας*) esse Demetrius statuit cum veteribus rhetoribus omnibus usque ad Dionysii aetatem; quam divisionem displicuisse rhetoribus sequentibus iam supra demonstravimus; hi enim ea genera plane disiunxerunt figurasque sententiarum post primam elocutionis partem (*διάνοιαν, ἔννοιαν*) posuerunt eamque vocaverunt *μέθοδον* aut *σχῆμα κατ' ἐξοχήν*. Singularum deinde exornationum nonnullae aliter describuntur ab Demetrio atque a ceteris omnibus. Velut *ἐπανάληψιν* ita definit is scriptor. § 196 *ἐπανάληψις δέ ἐστι συνδέσμου ἐπιφορὰ τοῦ αὐτοῦ ἐν τοῖς διὰ μακροῦ ἐπιφερομένοις λόγοις*; nusquam ita ceteri rhetores qui saepissime eam figuram commemorant. Cfr. G. Dzialas: Rhetorum antiquorum de figuris doctrina. Pars prior. Vratisl. 1869 p. 6—8.

Ὁμοιοτέλευτον hoc modo describit Demetrius § 26: *ὁμοιοτέλευτα δέ ἐστι τὰ εἰς ὅμοια καταλήγοντα, ἤτοι εἰς ὀνόματα ταὐτά, ὥσπερ ἔχει ἐπὶ τοῦ· σὺ δ' αὐτὸν καὶ ζῶντα ἔλεγες κακῶς καὶ νῦν θανόντα γράφεις κακῶς, ἢ ὅταν εἰς συλλαβὴν καταλήγῃ τὴν αὐτήν, ὥσπερ τὰ ἐκ τοῦ Πανηγυρικοῦ προειρημένα.* Cfr. § 268. Prorsus concinit Aristoteles A. Rh. III cap. 9 sub fin.: (*Παρομοίωσις δὲ ἂν ὅμοια τὰ ἔσχατα ἔχῃ ἑκάτερον τῶν κώλων· ἀνάγκη δὲ ἢ ἐν ἀρχῇ ἢ ἐπὶ τελευτῆς ἔχειν. καὶ ἀρχὴ μὲν αἰεὶ τὰ ὀνόματα·*) *ἡ δὲ τελευτὴ* (hanc cadentis orationis similitudinem philosophus

postea ipse quoque dicit *ὁμοιοτέλευτον*) *τὰς ἐσχάτας συλλαβὰς ἢ τοῦ αὐτοῦ ὀνόματος πτώσεις ἢ τὸ αὐτὸ ὄνομα. ... ταὐτὸ δ' ὄνομα· σὺ δ' αὐτὸν καὶ ζῶντα ἔλεγες κακῶς καὶ νῦν ἀποθανόντα γράφεις κακῶς.* A Demetrio et Aristotele dissentiunt ceteri rhetores omnes, qui *ὁμοιοτέλευτον* dicunt cum verba non eadem similiter terminantur; si autem eadem verba in clausulis membrorum ponuntur, non *ὁμοιοτέλευτον* id genus vocant, sed *ἀντιστροφήν*: cfr. Dzialas l. l. p. 8/9.

Triplicem figuram statuit Demetrius § 268 *Καὶ ἐκ τῆς ἀναφορᾶς καλουμένης* (scil. *δεινότητα* efficere licet), *ὡς τὸ ἐπὶ σαυτὸν καλεῖς, ἐπὶ τοὺς νόμους καλεῖς, ἐπὶ τὴν δημοκρατίαν καλεῖς. τὸ δὲ σχῆμα τὸ εἰρημένον τοῦτο τριπλοῦν· καὶ γὰρ ἐπαναφορά ἐστιν ὡς εἴρηται διὰ τὸ τὴν αὐτὴν λέξιν ἐπαναφέρεσθαι ἐπὶ τὴν αὐτὴν ἀρχήν· καὶ ἀσύνδετον· δίχα γὰρ συνδέσμων λέλεκται· καὶ ὁμοιοτέλευτον διὰ τὴν ἀπόληξιν τοῦ καλεῖς πολλάκις. ... εἰ δ' εἴποι τις οὕτως· ἐπὶ σαυτὸν καὶ τοὺς νόμους καὶ τὴν δημοκρατίαν καλεῖς ἅμα τοῖς σχήμασιν ἐξαιρήσει καὶ τὴν δεινότητα.* Eo loco et § 61 *ἐπαναφοράν* scriptor conectit coniungitque cum *διαλύσει* sive *ἀσυνδέτῳ*, quam ipsam complexionem ceteri rhetores vocant *ἀναφοράν*; triplici illi figurae deinde nova nomina posteriore aetate imponuntur, velut *συμπλοκή*, *κοινότης*, *σύνθεσις* (lat. complexio, communio, conexio, conexum), cfr. Dzialas l. l. p. 9, ex qua dissensione potest conici nomen vetustum ei figurarum accumulationi non fuisse. Ceterum idem exemplum quod Demetrius § 268 proponit commemorat eundemque in modum transformat Dionysius Halic. p. 49, neque tamen propter hanc causam crediderim haec ex ipso Demetrio descripsisso Dionysium.

§§ 148/9 commemoratur a Demetrio *χάρις Σαπφικὴ ἐκ μεταβολῆς*, quae exornatio conficitur, cum quis sententia aliqua qua possit offendi audientium animus prolata se ipse corrigit et vituperat, ut occurrat hominum indignationi. Commemoratur autem id quod fugit adhuc viros doctos ea exornatio iam ab Anaximene cap. 18 med. *ἐὰν δὲ τὸ πλῆθος θορυβῇ, μὴ τοῖς κρίνουσιν ἀλλὰ σαυτῷ ἐπίπληξον· τὸ μὲν γὰρ ἐκείνοις ἐπιτιμᾶν ὀργὴν ἐργάζεται, τὸ δὲ ἑαυτῷ ἐπιπλῆξαι καὶ λέγειν ἡμαρτηκέναι συγγνώμης ποιήσει τυχεῖν*, et ab Aristotele Ars Rh. III cap. 7 *δεῖ γὰρ αὐτὸν αὑτῷ ἐπιπλήττειν.* Rhetores ceteri saepenumero eam exornationem memorant, neque vero quisquam appellat *μεταβολήν*, sed alii alia imponunt nomina. Cfr. Spengelius ad locum Aristotelis (A. Rh.

vol. II p. 382). Correctionem dicit eam exornationem Cornificius IV § 36. Cic. Or. § 135 „cum corrigimus nosmet ipsos quasi reprehendentes"; *Μετάνοιαν* vocat Rutilius Lupus I, 16. Est autem exornatio Demetrii multo elegantior et magis poëtica quam figurae ceterorum rhetorum. Neque his ignota est *μεταβολή*, at alia et exornatio atque Demetrii. Cfr. Dzialas p. 12.

Ἀνθυπαλλαγή (§ 60) denique Demetrii et *συνάφεια* (§ 63) ab ceteris rhetoribus aliter vocantur; illam Herodianus dicit *διάστασιν* Sp. III p. 86; hanc ei rhetores qui eam exornationem memorant *πολυσύνδετον*.

Sequitur numerus orationis. De pedibus haec tradit Aristoteles III cap. 8: *Τῶν δὲ ῥυθμῶν ὁ μὲν ἡρῷος σεμνὸς καὶ λεκτικῆς ἁρμονίας* (cod.: *λεκτικὸς καὶ ἁρμονίας*) *δεόμενος· ὁ δὲ ἴαμβος αὐτή ἐστιν ἡ λέξις ἡ τῶν πολλῶν· διὸ μάλιστα πάντων τῶν μέτρων ἰαμβεῖα φθέγγονται λέγοντες.* Quem sequitur Demetrius, qui postquam de paeone disputavit ita pergit § 42 *οἱ δὲ ἄλλοι ὁ μὲν ἡρῷος σεμνὸς καὶ οὐ λογικός, ἀλλ' ἠχώδης οὐδὲ ἔρρυθμος ἀλλ' ἄρυθμος* ... § 43 *ὁ δὲ ἴαμβος εὐτελὴς καὶ τῇ τῶν πολλῶν λέξει ὅμοιος. πολλοὶ γοῦν μέτρα ἰαμβικὰ λαλοῦσιν οὐκ εἰδότες.* Aristoteles deinde commendat paeonem, cui Demetrius assentitur §§ 38—41. Paeonum alterum genus, quod *καταληκτικόν* vocat Demetrius, uterque auctor cadenti orationi aptum esse putat. Cfr. Arist. l. l. *οὗτος δὲ* (scil. is paeon *οὗ βραχεῖαι ἄρχουσι τρεῖς*) *τελευτὴν ποιεῖ ... ἀλλὰ δεῖ τῇ μακρᾷ ἀποκόπτεσθαι καὶ δήλην εἶναι τὴν τελευτήν, μὴ διὰ τὸν γραφέα μηδὲ διὰ τὴν παραγραφήν, ἀλλὰ διὰ τὸν ῥυθμόν.* Quo pertinent praeter ea quae §§ 38--41 explicantur, Demetrii verba § 206 *αἱ γὰρ κατὰ τὰ τελευταῖα ἐκτάσεις μεγαλοπρεπεῖς.* § 183 *τὸ δὲ μῆκος μεγαλοπρεπές* (scil. in clausula orationis). Quae igitur generatim exposuit Aristoteles cap. 8 de numero, ea rettulit Demetrius ad primum dicendi genus (*μεγαλοπρεπές*); neque eum ob hanc rem vituperarim; namque Aristoteles id ipsum indicavit verbis cap. 8 med.: *δεῖ δὲ σεμνότητα γενέσθαι καὶ ἐκστῆσαι.*

Eadem de paeone praeceperunt ceteri rhetores veteres. Cic. Or. § 194 „Atque haec quae sunt apud Aristotelem, eadem a Theophrasto Theodecteque de paeane dicuntur". 218 „Est quidem (scil. paeon) ut inter omnes constat antiquos, Aristotelem Theophrastum Theodectem Ephorum, unus aptissimus orationi vel orienti vel mediae; putant illi etiam cadenti, quo loco mihi videtur aptior creticus".

Ex sequentibus auctoribus*) unus Cicero paeonem commendat nonnullis locis, sed invitus quodammodo, neque tam suam quam veterum sententiam secutus. Or. § 196 „Sit igitur (scil. oratio)... permixta et temperata numeris nec dissoluta nec tota numerosa, paeane maxime, quoniam optimus auctor (scil. Aristoteles) ita censet“. § 215 „ego non plane reicio, sed alios antepono“. De Or. III § 193.

Ceteri rhetores paeonem silentio praeterire solent, velut Dionysius ubi pedes orationis enumerat (p. 105—111), eius non facit mentionem; aut si quando nominatur, fortuito id factum esse apparet, velut Dion. p. 119 sub fin.

Deinde vox *ῥυθμός* bis usurpatur, cum sermo est de periodis oratoriis. § 244 *τάς γε μὴν περιόδους ἐσφίγχθαι μάλα δεῖ κατὰ τὸ τέλος* ... (§ 245) ... *τῶν οὖν κώλων αἱ τοιαῦται ἀποθέσεις ,ὡμολόγησα τούτοις, ὡς ἂν οἷός τε ὦ συνερεῖν‘ ἔχονται μάλιστα οὗ εἴρηκα ῥυθμοῦ.* De eodem exemplo dicit § 10 *αὕτη γὰρ ἡ περίοδος ... καμπήν τέ τινα καὶ συστροφὴν ἔχει κατὰ τὸ τέλος.* § 20 *σχεδὸν γὰρ εὐθὺς ἐκ τῆς ἀρχῆς ἡ περίοδος ἡ τοιάδε συνεστραμμένον τι ἔχει καὶ ἐμφαῖνον, ὅτι οὐκ ἂν ἀπολήξειεν εἰς ἁπλοῦν τέλος.* Cfr. initium eius paragraphi *τῆς δὲ ῥητορικῆς περιόδου συνεστραμμένον τὸ εἶδος καὶ κυκλικὸν καὶ δεόμενον στρογγύλου στόματος καὶ χειρὸς συμπεριαγομένης τῷ ῥυθμῷ.* Ex quibus locis intellegitur *ῥυθμόν* utroque loco non esse intellegendum de certis pedibus, sed rotunditatem esse contortae orationis, cuius membra clausula orationis, quasi nodo quodam inter se sunt coniuncta et convincta, quae res non est ignota Aristoteli; cfr. cap. 8 sub finem; 9. —

Haec igitur praecepta de numero communia erant Demetrio cum Aristotele, eaque plane abhorrent a ceteris qui exstant rhetoribus. Uterque enim paeonem maxime commendat, quem posteriores nunquam; uterque fugit dactylum quem ei qui sequuntur

*) In excerptis Ps.-Longini (Rh. Gr. Sp. I p. 326) legitur: *Ὅτι χρὴ ἐν ταῖς συνθήκαις τῶν κώλων εὐπρεπῆ εἶναι τὴν λέξιν καὶ τὴν συνθήκην οὐκ ἀνάρμοστον, ὡς ἂν παίωνας εἶναι καὶ ἡρώους τοὺς πλείστους, ἐξ ὧν εὔογκος ἡ ἑρμηνεία γίνεται καὶ σεμνή· παραδείγματα δὲ τὰ Πλάτωνος καὶ Δημοσθένους· οὗτοι γὰρ ἄριστοι γνώμονες τῶν τοιούτων.* Quorum excerptorum cum multa aperte recentiore aetate sint scripta, ne de eo quidem quod attuli aliter censuerim. Sed quicunque ea scripsit, non aequalium sed antiquorum rhetorum sententiam eum esse secutum, unusquisque mihi concedet, qui recentiorum rhetorum de numero disputationes perlegerit. Fortasse ei auctor fuit Ephorus, cfr. Cic. Or. § 191: „Ephorus autem .. paeana sequitur aut dactylum.“

gravissimum orationique aptissimum iudicant, cfr. Dion. p. 108 *δακτυλικός ... πάνυ δ' ἐστὶ σεμνὸς καὶ εἰς κάλλος ἁρμονίας ἀξιολογώτατος;* neuter denique ullam rationem habuit numerorum Isocratis, quem posteriores summum eius rei artificem ducunt. Jam quae nova Aristotelique incognita addit Demetrius, ea primum se proponere diserte dicit § 179, cfr. supra p. 11; est autem floridi generis numerus §§ 179—185. Quamobrem nisi forte fraudulentum et mendacem hominem scriptorem libri de elocutione iudicamus, scripsisse eum necesse est multum ante Dionysii aetatem, cui numeri floridae compositionis sunt res decantatae; cfr. p. 170 seq., p. 1075 seq.*) Cic. Or. §§ 20, 187.

Superest ut dicamus de periodorum structura. Aristoteles et Demetrius duas orationis formas distinguunt, quarum priorem dicit Aristoteles A. Rh. III cap. 9 *εἰρομένην*, Demetrius *διῃρημένην*, posteriorem uterque auctor appellat *κατεστραμμένην*. Prius genus tribuunt veteribus scriptoribus. Aristoteles cap. 9 init. *ἡ μὲν οὖν εἰρομένη λέξις ἡ ἀρχαία ἐστίν κ. τ. λ.* Dem. § 12. *ἡ δέ τις διῃρημένη ἑρμηνεία καλεῖται, ἡ εἰς κῶλα λελυμένη οὐ μάλα ἀλλήλοις συνηρτημένα, ὡς ἡ Ἑκαταίου καὶ τὰ πλεῖστα τῶν Ἡροδότου καὶ ὅλως ἡ ἀρχαία πᾶσα.* Neque tamen eodem modo hanc formam describunt. Namque Aristoteles eam orationem dicit *εἰρομένην* quae continenter fluit, in qua nullae partes apparent; non forma orationis sed sensu solo enuntiationum exitus indicantur. cap. 9. *τὴν δὲ λέξιν ἀνάγκη εἶναι ἢ εἰρομένην καὶ συνδέσμῳ μίαν ... λέγω δὲ εἰρομένην ἣ οὐδὲν ἔχει τέλος καθ' αὑτήν, ἂν μὴ τὸ πρᾶγμα λεγόμενον τελειωθῇ.* Contra Demetrius hanc orationem membratim divisam esse dicit; neque tamen ea membra inter se cohaerent vel vinculis continentur, sicut in periodis, sed diremta et soluta (*διῃρημένη*) est haec oratio. Cfr. is locus quem paulo ante apposui, post quem ita pergit scriptor (§ 12): *παράδειγμα αὐτῆς: Ἑκαταῖος Μιλήσιος ὧδε μυθεῖται· τάδε γράφω ὥς μοι ἀληθέα δοκεῖ εἶναι· οἱ γὰρ Ἑλλήνων λόγοι πολλοί τε κ. τ. λ. ὥσπερ γὰρ σεσωρευμένοις ἐπ' ἀλλήλοις τὰ κῶλα ἔοικε καὶ ἐπερριμμένοις καὶ οὐκ ἔχουσι σύνδεσιν οὐδ' ἀντέρεισιν οὐδὲ βοηθοῦντα ἀλλήλοις ὥσπερ*

*) Obiter moneo Dionysium commemorari in Excerptis rhetoricis Cram. Anecd. Oxon. IV p. 149 seq., in quibus dicitur p. 151 *εἴπωμεν οὖν πρῶτον Λαχάρου τεχνολογίαν ἣν ἐκ τοῦ Διονυσίου παρείληφεν*, eademque exempla quae ibi proponuntur, pertractat Dionysius p. 113—120. Cum excerptis rhetoricis congruit ad verbum paene Castor Rhodius qui fertur Walz. Rh. Gr. III p. 712—723; Lacharem Castor memorat p. 719.

ἐν ταῖς περιόδοις. Neque vituperarim Demetrium quod huic orationis formae membra dedit, neque video quo alio nomine Aristoteles partes eius, quas inveniri sensu quidem, si non forma negare non potuit, appellare voluerit. Est autem hoc compositionis genus ex Demetrii sententia simplex, vulgare atque animi probi documentum (*ἁπλοῦν, ἰδιωτικόν* § 15, *ἡ δὲ λύσις ἁπλούστερον καὶ χρηστοηθείας σημεῖον* § 244).

Huic formae contraria est contorta oratio (*κατεστραμμένη*) quae periodis est inclusa. Arist. cap. 9 *κατεστραμμένη δὲ ἡ ἐν περιόδοις.* Dem. § 12 *τῆς ἑρμηνείας ἡ μὲν ὀνομάζεται κατεστραμμένη, οἷον ἡ κατὰ περιόδους.* Periodum autem definit Aristoteles ita: *λέγω δὲ περίοδον λέξιν ἔχουσαν ἀρχὴν καὶ τελευτὴν αὐτὴν καθ' αὑτὴν καὶ μέγεθος εὐσύνοπτον,* cuius definitionis partem affert et probat Demetrius § 11. De ambitu periodorum dissentiunt; namque Aristoteles unius aut duorum membrorum eas esse vult; quam sententiam commemorat Demetrius § 34; ipse tamen iudicat idque merito trium quoque et quattuor membrorum periodos inveniri §§ 16, 17. Iam illas unius membri periodos (*μονοκώλους*) quas Aristoteles dicit *ἀφελεῖς*, Demetrius *ἁπλᾶς* §§ 17, 34, 35, ambitum longiorem habere oportet. Arist. cap. 9 *δεῖ δὲ καὶ τὰ κῶλα καὶ τὰς περιόδους μήτε μυούρους εἶναι, μήτε μακράς.* ib. *αἱ δὲ λίαν βραχύκωλοι οὐ περίοδος γίνεται.* Demetr. § 17 *ὅταν γὰρ τὸ κῶλον μῆκός τε ἔχῃ καὶ καμπὴν κατὰ τὸ τέλος, τότε μονόκωλος περίοδος γίνεται.* Ea oratio, quae unum membrum excedit, ab Aristotele vocatur *ἡ ἐν κώλοις* a Demetrio *περίοδος σύνθετος.* §§ 18, 34, 35. Eius duas formas docet Aristoteles *διῃρημένην* et *ἀντικειμένην;* posteriorem quam primum persequi in animo habeo, describit praeter Demetrium §§ 22—29, Anaximenes cap. 26—28; cfr. cap. 26 init.: *περὶ δὲ ἀντιθέτων καὶ παρισώσεων καὶ ὁμοιοτήτων λέγωμεν ἤδη.*

De primo genere, quod complectitur membra vere contraria (*ἀντικείμενα*), prorsus inter se consentiunt Anaximenes et Demetrius. Anax. cap. 26: *ἀντίθετον μὲν οὖν ἐστι τὸ ἐναντίον τὴν ὀνομασίαν ἅμα καὶ τὴν δύναμιν τοῖς ἀντικειμένοις ἔχον, ἢ τὸ ἕτερον τούτων.* Dem. § 22/3 (*ἀντικειμένων*) *ἤ τοι τοῖς πράγμασιν ... ἢ ἀμφοτέροις τῇ τε λέξει καὶ τοῖς πράγμασιν ... κατὰ δὲ τὰ ὀνόματα μόνον ἀντικείμενα κῶλα τοιάδε ἐστίν κ. τ. λ.* Uterque igitur statuit tria genera, cum aut res aut verba aut utrumque sunt contraria. — Sequuntur apud Demetrium membra (§ 24) quae quamquam vere non sunt inter se opposita, tamen eam speciem habent, *καθάπερ τὸ παρ' Ἐπιχάρμῳ τῷ ποιητῇ πεπαιγμένον, ὅτι Τόκα μὲν ἐν τήνοις ἐγὼν ἦν, τόκα δὲ παρὰ τήνοις ἐγών.**) Haec sumpsit ex Aristotele, qui cap. 9 sub finem dicit: *εἰσὶ δὲ καὶ ψευδεῖς ἀντιθέσεις, οἷον καὶ Ἐπίχαρμος ἐποίει Τόκα κ. τ. λ.* Sequuntur *παρόμοια κῶλα*, de quibus Aristoteles ita disputaverat: *Παρομοίωσις δὲ ἂν ὅμοια τὰ ἔσχατα ἔχῃ ἑκάτερον τῶν κώλων. ἀνάγκη δὲ ἢ ἐν ἀρχῇ ἢ ἐπὶ τελευτῆς ἔχειν. καὶ ἀρχὴ μὲν ἀεὶ τὰ ὀνόματα· ἡ δὲ τελευτὴ τὰς ἐσχάτας συλλαβὰς ἢ τοῦ αὐτοῦ ὀνόματος πτώσεις ἢ τὸ αὐτὸ ὄνομα.* Paulo post membra pariter exeuntia dicit *ὁμοιοτέλευτα.* Demetrius non satis distinxit membra *παρόμοια* et *ὁμοιοτέλευτα.* Cum enim § 25 dicat *ἔστι δὲ καὶ παρόμοια κῶλα, ἅτινα παρόμοια ἤτοι τοῖς ἐπ' ἀρχῆς ... ἢ τοῖς ἐπὶ τέλους* quod posterius genus ipsum esse *ὁμοιοτέλευτον* apparet, tamen § 26 ita pergit *Ὁμοιοτέλευτα δέ ἐστι τὰ εἰς ὅμοια καταλήγοντα ἤτοι εἰς ὀνόματα ταὐτά ... ἢ ὅταν εἰς συλλαβὴν καταλήγῃ τὴν αὐτήν ...,* quamquam Aristotelem eo loco sequitur, ex quo nonnulla quoque exempla in suum vertit. Cfr. Anax. cap. 28. Denique *τὸ πάρισον* memorant hi auctores, quod *εἶδος τοῦ παρομοίου* vocat Demetrius § 25, *ἐπὰν ἴσας ἔχῃ τὰ κῶλα τὰς συλλαβάς.* Aristoteles et Anaximenes *παρίσωσιν* sive *πάρισον* hoc genus appellant quod non ut Demetrius cum paromoeis coniungunt. Arist. cap. 9 *παρίσωσις δὲ ἐὰν ἴσα τὰ κῶλα.* Anax. cap. 27 *παρίσωσις δέ ἐστι μέν, ὅταν δύο ἴσα λέγηται κῶλα.* —

Quamquam igitur nonnulla aliter Demetrius docet atque Aristoteles et Anaximenes, tamen in universum summa est eorum in hac re consensio. A quibus vehementer discrepant ceteri rhetores, qui non ut Aristoteles et Demetrius inter periodos, sed inter figuras verborum ea genera pertractant.

Alteram formam periodorum dicit Aristoteles *διῃρημένην;* est enim non ut illa *εἰρομένη „μίᾳ συνδέσμῳ"* sed membris incisa. Hanc formam Demetrius quippe qui doctrinam bimembris orationis

---

*) De hoc exemplo addit Demetrius sub finem eius paragraphi: *ἀλλ' οὗτος μὲν ἴσως γελωτοποιῶν οὕτως ἀντέθηκε καὶ ἅμα σκώπτων τοὺς ῥήτορας.* De qua interpretatione Spengelius ita iudicat in adnotatione ad locum Aristotelicum: „Haec inanis videtur Demetrii coniectura, quam ex ipso Epicharmi poëmate facile disceptasset: parum enim probabile, poëtam vel ante rhetoricam artem institutam florentem, Gorgiam primum antitheta sectantem irrisisse." Demetrio assentitur Lorenzius in libro q. i. Leben und Schriften des Coers Epicharm p. 95, 273, atque mea sententia recte iudicat. Namque Gorgias mihi non tam primus eam orationis formam videtur esse sectatus, quam in Graeciam ipsam ex Sicilia transtulisse.

Aristotelicam reiciat, recipere non potuit; quam autem ipse dicit *διῃρημένην*, eam prorsus esse diversam supra ostendimus.

Consentiunt denique viri de ambitu membrorum; neque enim longiora placent neque breviora. Arist. cap. 9 *δεῖ δὲ καὶ τὰ κῶλα καὶ τὰς περιόδους μήτε μυούρους εἶναι μήτε μακράς.* Demetr. § 4. *δεῖ δὲ οὔτε πάνυ μακρὰ ποιεῖν τὰ κῶλα . . . οὔτε δὲ τὸ μῆκος τῶν κώλων πρέπον τοῖς λόγοις διὰ τὴν ἀμετρίαν οὔτε ἡ μικρότης ἐπεί τοι γίνοιτ' ἂν ἡ λεγομένη ξηρὰ σύνθεσις.*

Haec fere sunt ea Demetrii de elocutione praecepta, unde aliquid de libri aetate mihi colligi posse videbatur. In qua disputatione ipsa nonnunquam eiusmodi loci occurrerunt, quibus recentiorem libri aetatem indicari viri docti sunt arbitrati, quorum sententiam falsam esse suo loco ostendimus. Iam cetera „serioris aetatis vestigia“ quae superiores in hoc libro invenire sibi videbantur pertractabimus.

§ 244 leguntur haec: *Τάς γε μὴν περιόδους ἐσφίγχθαι μάλα δεῖ κατὰ τὸ τέλος· ἡ γὰρ περιαγωγὴ δεινόν, ἡ δὲ λύσις ἁπλούστερον καὶ χρηστοηθείας σημεῖον καθάπερ ἡ ἀρχαία πᾶσα ἑρμηνεία. ἁπλοϊκοὶ γὰρ οἱ ἀρχαῖοι.* Quae verba explicantur § 12: *ἡ δέ τις διῃρημένη ἑρμηνεία καλεῖται, ἡ εἰς κῶλα λελυμένη οὐ μάλα ἀλλήλοις συνηρτημένα, ὡς ἡ Ἑκαταίου καὶ τὰ πλεῖστα τῶν Ἡροδότου καὶ ὅλως ἡ ἀρχαία πᾶσα.* Soluta igitur oratio Hecataei et Herodoti oratio vetusta dicitur § 244 a Demetrio, cui opponit § 245 *τὴν νῦν κατέχουσαν δεινότητα*, quam illustrat exemplo ex Demosthene sumpto. Tantum igitur abest, ut his paragraphis recentior libri aetas indicetur, ut ipsum contrarium inde comprobetur; namque Demosthenis fere aequalem se scriptor appellat.

§ 67 dicit Demetrius: *Χρῆσθαι μέντοι τοῖς σχήμασι μὴ πυκνοῖς ἀπειρόκαλον γὰρ καὶ παρεμφαῖνόν τινα τοῦ λόγου ἀνωμαλίαν. οἱ γοῦν ἀρχαῖοι πολλὰ σχήματα ἐν τοῖς λόγοις τιθέντες συνηθέστεροι τῶν ἀσχηματίστων εἰσὶ διὰ τὸ ἐντέχνως τιθέναι.* Quo loco non potest esse dubium quosnam veteres scriptores intellegat. Ea enim quae de figuris proposuit praecepta, illustrat exemplis Homericis, Herodoteis Thucydideis; eos igitur opponit ipsius aequalibus scriptor idque licuisse Demetrio Phalereo nemo negaverit. Similem in modum Aristoteles nonnullis locis veteres poëtas comparat cum novis velut A. Poët. cap. VI § 16 *οἱ μὲν γὰρ ἀρχαῖοι πολιτικῶς ἐποίουν λέγοντας, οἱ δὲ νῦν ῥητορικῶς.* § 11 *αἱ γὰρ τῶν νέων τῶν πλείστων ἀήθεις τραγῳδίαι εἰσίν.*

Nova comoedia commemoratur § 204. *ὥσπερ γὰρ ἐπὶ τῶν [ἡρωικῶν] μέτρων τὸ ἑξάμετρον ἡρωικὸν ὃν καλεῖται ὑπὸ μεγέθους καὶ πρέπον ἥρωσιν, ἡ κωμῳδία δὲ συνέσταλται εἰς τὸ τρίμετρον ἡ νέα* (cfr. Spengel. Arist. A. Rh. t. II p. 359). Neque tamen potuit effugere Demetrium Phalereum Aristophanem ceterosque veteres comoedos plurimum differre ab ipsius aetatis comoedis; quam rem si verbis exprimere voluit, num simplicius id potuit facere quam ut hanc *νέαν* diceret, quae vox apud posterioris aetatis scriptores est sollemnis? Ceterum iam Aristoteles veteres comoedias distinguit ab novis, Ethic. Nicom. l. IV cap. 14.

Aperte aetatem qua scriptus esset liber de elocutione editores huius libri indicari existimaverunt voce *λόγιος* quae legitur § 39 *Ἄρξομαι δὲ ἀπὸ τοῦ μεγαλοπρεποῦς ὅνπερ νῦν λόγιον ὀνομάζουσιν.* Eo verbo neque Demetrius alio loco utitur, neque quisquam ceterorum scriptorum Graecorum illa sententia usurpare videtur; memoratur autem a Phrynicho p. 198 Lob.: *Λόγιος, ὡς οἱ πολλοὶ λέγουσιν ἐπὶ τοῦ δεινοῦ εἰπεῖν καὶ ὑψηλοῦ οὐ τιθέασιν οἱ ἀρχαῖοι, ἀλλ' ἐπὶ τοῦ τὰ ἐν ἑκάστῳ ἔθνει ἐπιχώρια ἐξηγουμένου ἐμπείρως.* Quem locum vertit Goellerus, qui Lipsiae 1837 librum de elocutione edidit, p. 101 ita: „Vocabulum *λόγιος* non, ut nunc vulgo solet fieri, item Antiqui de forti et sublimi dicendi genere (i. e. de charactere *μεγαλοπρεπεῖ* sive magnifico) usurpant, sed de doctis institutorum cuiusque populi patriorum interpretibus;“ at verba *ἐπὶ τοῦ δεινοῦ εἰπεῖν καὶ ὑψηλοῦ* falso esse interpretatum virum doctum manifestum est; namque *ὁ δεινὸς εἰπεῖν καὶ ὑψηλός* est is, in quo magna est facultas ornate dicendi; ea significatio vocis *δεινός* est usitatissima apud rhetores et scriptores; recte ita explicavisse Phrynichum vocem *λόγιος* ex lexicis intellegitur; velut Plutarchus dicit eloquentem *λόγιον*, eloquentiam *λογιότητα.* Primo autem (i. e. *μεγαλοπρεπεῖ*) generi Demetrii nihil rei esse cum orationibus supra p. 9 diximus. Quamobrem nihil post ex Phrynichi loco colligi de aetate libri de elocutione.

Si qui scriptores a Demetrio vituperantur, eos pronomine *τὶς* solet significare, cfr. §§ 115, 121, 126, 187/8, 236—9, 303; nominantur Alcidamas § 116 in quo reprehendendo auctor fuerat Aristoteles A. Rh. III cap. 3; Clitarchus § 304; Sotades § 189; denique nescio quis significatur § 237: *Περὶ δὲ τὴν λέξιν γίνεται τὸ ξηρόν, ὅταν πρᾶγμα μέγα σμικροῖς ὀνόμασιν ἀπαγγέλλῃ, οἷον ὡς ὁ Γαδηρεὺς* (sic traditur codice Parisino) *ἐπὶ τῆς ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχίας φησὶ καὶ τοῦ Φαλάριδος τοῦ τυράννου ἔφη τις ἄττα γὰρ*

ὁ Φάλαρις ἠνώχλει τοῖς Ἀκραγαντίνοις. ναυμαχίαν γὰρ τοσαύτην καὶ τυράννου ὠμότητα οὐχὶ τῷ ἄττα ὀνόματι οὐδὲ τῷ ἠνώχλει ἐχρῆν λέγειν, ἀλλ' ἐν μεγάλοις καὶ πρέπουσι τῷ ὑποκειμένῳ πράγματι. De quo Gadareo haec dicit Walzius praef. p. IV „§ 237 *ὁ Γαδαρεύς* nominatur quo nomine aut Theodorus Gadarenus, qui Augusti aetate floruit, aut Apsines qui Maximiniano (sic!) imperante vixit, intellegendus est; utcunque vero statuas, Gadaram, Syriae urbem iam Demetrii Phalerei aetate Graecae rhetoricae studiis floruisse nemini persuadebis". At perturbatior est illa paragraphus quam adhuc viderunt viri docti: namque ante *καὶ* excidit exemplum Gadarei idque neminem potuit effugere; deinde neglegentiam non librariorum sed editoris indicat, quod cum verbis *ναυμαχίαν γὰρ τοσαύτην καὶ τυράννου ὠμότητα ... ἐχρῆν λέγειν* aperte utrumque exemplum significetur, verba quae reprehenduntur (*ἄττα, ἠνώχλει*) ex eo quod superest solo petuntur; mitto quod ne traditur quidem *ὁ Γαδαρεύς*, sed *Γαδηρεύς* codice Par., *Γαδειρεύς* editione Aldina.

Sed etiamsi verba ipsa omni suspicione carerent, nihil ab hoc libro magis est alienum quam posteriorum rhetorum declamationes: quid quod ne demonstrativi quidem generis oratores usquam in generibus dicendi ipsis nominantur, excepto Polycrate qui § 120 in excursu quodam commemoratur. Quam ob causam historicum aliquem potius perturbato illo loco ab scriptore significari conicio quam oratorem aut rhetorem.

Denique § 108 commemorantur *πορφύραι πλατεῖαι*, quem locum gravissimum indicium recentioris aetatis esse superiores existimabant Romanorum latos clavos ab scriptore intellegi rati. Quorum sententiam falsam esse ex Demetrii verbis perspicitur: *καὶ καθόλου τὸ ἐπιφώνημα τοῖς τῶν πλουσίων ἔοικεν ἐπιδείγμασι γείσοις λέγω καὶ τριγλύφοις καὶ πορφύραις πλατείαις· οἷον γάρ τι καὶ αὐτὸ τοῦ ἐν λόγοις πλούτου σημεῖόν ἐστιν.* Opes igitur et divitiae hoc loco *πλατείαις πορφύραις* significantur; at Romanorum latus clavus non divitiarum indicium sed insigne habetur, idque eius ordinis, in quo saepe pauperrimi erant viri. Quamobrem non sunt intellegendi eo loco lati clavi Romanorum, sed *ῥάβδοι* sive *παρυφαί* purpureae vestium Graecarum.

De Sotade denique et Demetrio Phalereo ipso, qui nominantur §§ 189, 289, dicetur eo quod sequitur capite.

Hoc igitur capite nulla res nobis occurrit quae abhorreret ab ea aetate, qua vixit Demetrius Phalereus qui testimoniis veteribus scriptor libri exhibetur. Contra cum antiquissimis rhetoribus qui exstant, saepissime consentit scriptor libri de elocutione. Atque Anaximenem quidem non nominat, sed ostendimus nonnulla praecepta ab utroque ita explicari, ut ab nullo ceterorum rhetorum; saepenumero sequitur Aristotelem, ex cuius libris multa quoque exempla sumpsit quibus illustraret praecepta rhetorica id quod prorsus est contra consuetudinem ceterorum rhetorum: Theophrastum nominat §§ 41. 114, 173, 222, Niciam pictorem § 76, Praxiphane grammatico utitur § 57/8, de Archidemo § 34 et Artemone § 223 nihil constat, est autem verisimile, Peripateticos eos fuisse, quoniam alter epistulas Aristotelis edidit, alter de eius praeceptis rhetoricis disseruit. Atque ut ceteros mittam, Aristotelem et Theophrastum Dionysius quoque Halicarnassensis nonnullis locis nominat, sed ornamenti et speciei causa; re vera autem eius scripta magis abhorrent ab vetere et bona eruditione quam adhuc ab iis qui hanc rem attigerunt est intellectum; apud ceteros vero rhetores graecos in universum illorum memoria est oblitterata.

Haec satis sunto de aetate libri de elocutione; eo quod sequitur capite de persona scriptoris verba faciam; quem philosophum esse primum demonstrabo; quia autem non potest esse editus liber ab scriptore ipso, non obstat nomen Phalerei quod in § 289 invenitur, quin huic ipsi tribuamus; immo ceteris eius fragmentis rhetoricis id iudicium confirmatur.

Caput tertium,

quo demonstratur iure referri librum de elocutione ad Demetrium Phalereum.

Duo fere genera sunt eorum quorum de arte rhetorica praecepta aetatem tulerunt, alterum philosophorum, alterum rhetorum, in priore genere ut nunc mittam Philodemum quocum nihil rei nobis est unus Aristoteles a viris doctis numeratur, in posteriore ceteri quorum de arte rhetorica libri exstant omnes. Iam demonstrare conabor librum de elocutione ad prius genus esse referendum eiusque scriptorem fuisse Peripateticum. Potest autem hoc intellegi ex necessitate quae intercedit inter Isocrateos et libri de elocutione scriptorem; ex auctoribus, qui nominantur; tractatio

deinde rerum indicat philosophum; dictio denique qua utitur quam maxime consentit cum Aristotelica.

Cicero in Oratore § 172 tradit Isocrati Aristotelem infense esse adversatum; neque desunt eius rei vestigia apud Demetrium. Isocrates enim praeceperat ut graves res humiliter, humiles graviter enarrarentur. Cfr. Paneg. § 7/8. *ἐπειδὴ δ' οἱ λόγοι τοιαύτην ἔχουσι τὴν φύσιν, ὥστ' οἷόν τ' εἶναι περὶ τῶν αὐτῶν πολλαχῶς ἐξηγήσασθαι καὶ τά τε μεγάλα ταπεινὰ ποιῆσαι καὶ τοῖς μικροῖς μέγεθος περιθεῖναι καὶ τὰ παλαιὰ καινῶς διελθεῖν καὶ περὶ τῶν νεωστὶ γεγενημένων ἀρχαίως εἰπεῖν. . . .* W. Rh. Gr. VI 133. Long. Sp. Rh. Gr. I p. 328.*)

Ipsum contrarium docuit Aristoteles A. Rh. III cap. 7 init. *τὸ δὲ πρέπον ἕξει ἡ λέξις ἐὰν ᾖ παθητική τε καὶ ἠθικὴ καὶ τοῖς ὑποκειμένοις πράγμασιν ἀνάλογον. τὸ δ' ἀνάλογόν ἐστιν, ἐὰν μήτε περὶ εὐόγκων αὐτοκαβδάλως λέγηται μήτε περὶ εὐτελῶν σεμνῶς· μηδ' ἐπὶ τῷ εὐτελεῖ ὀνόματι ἐπῇ κόσμος. εἰ δὲ μή, κωμῳδία φαίνεται.* Quem sequitur Demetrius prorsus reiciens Isocrateorum doctrinam § 120 *καί τοι τινές φασι δεῖν τὰ μικρὰ μεγάλως εἰπεῖν καὶ σημεῖον τοῦτο ἡγοῦνται ὑπερβαλλούσης δυνάμεως . . . τὸ δὲ πρέπον ἐν παντὶ πράγματι φυλακτέον, τουτέστι προσφόρως ἑρμηνευτέον, τὰ μὲν μικρὰ μικρῶς τὰ μεγάλα δὲ μεγάλως.* Quod postquam exemplis illustravit dicit § 121: *πάντα οὖν τὰ τοιαῦτα ψυχρότης καλεῖται.* § 125 dicit de superlatione: *πᾶσα μὲν οὖν ὑπερβολὴ ἀδύνατός ἐστιν: διὸ δὴ καὶ μάλιστα ψυχρὰ δοκεῖ πᾶσα ὑπερβολὴ διότι ἀδυνάτῳ ἔοικε.* § 126 *διὰ τοῦτο δὲ μάλιστα καὶ οἱ κωμῳδοποιοὶ χρῶνται αὐτῇ* (cfr. verba Aristotelis quae ante attulimus) *ὅτι ἐκ τοῦ ἀδυνάτου ἐφέλκονται τὸ γέλοιον κ. τ. λ.* § 127 *καὶ περὶ μὲν ψυχρότητος καὶ ὑπερβολῆς τοσαῦτα.* Cfr. § 75.

Deinde reicit Demetrius ea quae de verborum conglutinatione Isocratei praeceperunt. § 68 *περὶ δὲ συγκρούσεως φωνηέντων ὑπέλαβον ἄλλοι ἄλλως. Ἰσοκράτης μὲν γὰρ ἐφυλάττετο συμπλήσσειν αὐτά καὶ οἱ ἀπ' αὐτοῦ. . . . λειοτέρα μὲν γὰρ οὕτως ἔσται ἴσως ἡ σύνθεσις, ἀμουσοτέρα δὲ καὶ κωφὴ ἀτεχνῶς, πολλὴν εὐφωνίαν ἀφαιρεθεῖσα τὴν γινομένην ἐκ τῆς συγκρούσεως.* Cfr. §§ 69—74, 299.

---

*) Generibus dicendi eam rationem inclusit Doxopater W. Rh. Gr. II p. 132. *χαρακτῆρες δέ εἰσι τρεῖς ἁδρὸς ταπεινὸς μέσος· ἁδρὸς μὲν οὖν ἐστιν ὁ κομπηρὰς ἔχων λέξεις νοῦν δὲ ταπεινόν, ὡς ἔχει τὰ τοῦ Λυκόφρονος, ταπεινὸς δὲ ὁ νοῦν μὲν ἔχων ὑψηλόν, λέξεις δὲ ταπεινάς . . .* W. Rh. Gr. III p. 531, 582, 729.

Cum porro ceteri rhetores saepenumero exempla ex orationibus Isocratis sumant quibus sua praecepta confirment, Demetrius in disputatione de membris contrarie relatis tria sola proponit exempla Isocratea §§ 22, 23, 25, quorum duo ante ipsum Aristoteles attulerat. A. Rh. III cap. 9.

Contra saepenumero ex philosophis exempla petuntur quibus illustrentur praecepta rhetorica. Praeter Xenophontem et Platonem, qui apud ceteros quoque rhetores saepissime occurrunt, commemoratur maxime Aristoteles (§§ 28, 29, 97, 225, 230, 233, 234; venustas (*χάρις*) sermonis Aristotelici laudatur §§ 144, 154, 157); deinde Cynici (§§ 170, 259 seq.), ex quibus nominatim Antisthenes (§ 249) et Crates (§§ 170, 259); ex iis qui Aristotelis disciplinam sunt secuti, nominatur Dicaearchus (§ 181) ut nunc mittam Demetrium Phalereum; denique § 296/7 describitur ratio disserendi qua utebantur Aristippus Xenophon Socrates: Socratem imitantur Plato et Aeschines.

Omnes denique eos scriptores ex quibus praecepta rhetorica ipsa sunt petita, praeter Niciam pictorem videri esse Peripateticos supra p. 29 diximus.

Magis etiam indicant philosophum rerum pertractatio et elocutio quae prorsus est eadem Aristotelis et scriptoris libri de eloc. Uterque enim presse et breviter ingentem praeceptorum copiam ita tradit ut pro ampla sua et multiplici scientia ingeniique acumine conectat ea cum ceteris artibus totaque rerum natura. Velut de allegoria haec traduntur §§ 99—101: *Μεγαλεῖον δέ τί ἐστι καὶ ἡ ἀλληγορία καὶ μάλιστα ἐν ταῖς ἀπειλαῖς, οἷον ὡς ὁ Διονύσιος ὅτι οἱ τέττιγες αὐτοῖς ᾄσονται χαμόθεν. εἰ δ' οὕτως ἁπλῶς εἶπεν, ὅτι τεμεῖ τὴν Λοκρίδα χώραν καὶ ὀργιλώτερος ἂν ἐφάνη καὶ εὐτελέστερος. νῦν δὲ ὥσπερ συγκαλύμματι τοῦ λόγου τῇ ἀλληγορίᾳ κέχρηται· πᾶν γὰρ τὸ ὑπονοούμενον φοβερώτερον καὶ ἄλλος εἰκάζει ἄλλο τι· ὃ δὲ σαφὲς καὶ φανερόν, καταφρονεῖσθαι εἰκός, ὥσπερ τοὺς ἀποδεδυμένους. διὸ καὶ τὰ μυστήρια ἐν ἀλληγορίαις λέγεται πρὸς ἔκπληξιν καὶ φρίκην, ὥσπερ ἐν σκότῳ καὶ νυκτί· ἔοικε δὲ καὶ ἡ ἀλληγορία τῷ σκότῳ καὶ τῇ νυκτί.* Quibus verbis quamquam ne definitio quidem allegoriae continetur, tamen quoniam primum eius formae principia (*τὸ φοβερόν*) aperiuntur, deinde exemplis illustrantur et ex arte rhetorica ipsa et ex communi vita petitis, penitus de illo dicendi genere edocemur, nec mediocriter hac disserendi ratione legentium animus movetur et

delectatur, id quod satis raro accidit in ceteris rhetoribus. Namque hi una fere ratione omnia praecepta edunt: accurate solent definire formas figurasque orationis multaque genera et divisiones earum proponere, quae illustrare et confirmare student exemplis ex oratoribus maxime sumptis. *Πολιτικῶς* ut breviter dicam disserunt Aristoteles et Demetrius, *ῥητορικῶς* et *σχολαστικῶς* rhetores.

Neque minus sermo Aristotelis congruit cum eo qui in libro de elocutione invenitur; non enim copiosa limata atque concinna utuntur oratione, sed inaequalitas quaedam placet et neglegentia sermonis. Velut quam formam sequitur Aristoteles A. R. III cap. 9. *Ἀντίθεσις μὲν οὖν τὸ τοιοῦτόν ἐστιν· παρίσωσις δὲ ἐὰν ἴσα τὰ κῶλα· παρομοίωσις δὲ ἂν ὅμοια τὰ ἔσχατα ἔχῃ ἑκάτερον τῶν κώλων· ἀνάγκη δὲ ἢ ἐν ἀρχῇ ἢ ἐπὶ τελευτῆς ἔχειν. Καὶ ἀρχὴ μὲν ἀεὶ τὰ ὀνόματα· ἡ δὲ τελευτὴ τὰς ἐσχάτας συλλαβὰς ἢ τοῦ αὐτοῦ ὀνόματος πτώσεις ἢ τὸ αὐτὸ ὄνομα* e. q. s., eandem refert liber de elocutione fere totus. Neque mea sententia id quidem casu et fortuito fieri potuit; quid, quod Anonymus quidam (W. Rhet. Gr. VII p. 899) hanc disserendi formam propriam esse ait Peripateticorum? *ἔργον γὰρ αὐτοῖς* (scil. Peripateticis) *ἐστι σχεδὸν ἡ ἀσάφεια καὶ τὸ πολλὴν ἐμποιῆσαι σύγχυσιν οὐ κατὰ ἀπορίαν λέγω τινά, μή ποτε τοσοῦτον μανείην, ἀλλ' ἑκοντὶ ὑποκαλύπτουσι τὰ νοήματα καὶ διαπλέκουσι τῶν ὀνομάτων τὴν ἑρμηνείαν ὅθεν καὶ λυποῦσι τὴν ἀκοήν* e. q. s.

Ex operibus, quae nomine Aristotelis sunt inscripta, multa nonnulli volunt omnia — non ab ipso philosopho, sed post eius mortem esse edita est verisimile; idem fere accidit ei libello de quo nobis quaestio est proposita. Cum enim omnia fere ita sint excogitata, ut Demetrio Phalereo non sint indigna, libri partes, multae quoque singulae sententiae eo ordine et conexu sunt propositae, quo non possunt esse in publicum editae ab scriptore ipso. Atque primum quidem caret liber et prologo et epilogo; namque primis verbis in medias res ducimur nullo indice quo ferat via; postremis ultima paragraphus concluditur, non liber ipse. Deinde cum opus sit inscriptum *περὶ ἑρμηνείας*, hanc satis mire scriptor divisit. Duae enim sunt libri partes, quarum altera potest inscribi de incisis, membris, periodis (§§ 1—35), altera de dicendi generibus. At qui aliquis hanc divisionem defenderit? nonne cum illa extra dicendi genera posuisset, cetera quoque velut lumina singulorum et collocatorum verborum, a generibus dicendi ipsis separata systematico ut ita dicam ordine

pertractare debuit? aut cum haec in dicendi generibus ipsis afferre satis haberet auctor legentes rerum satis peritos esse ratus, cur hanc viam non in illa re est ingressus? Tum neglegentiam non ferendam indicat ordo partium, quibus constant singula dicendi genera, id quod haec tabula oculis subiciet:

χαρ. μεγαλ.: σύνθεσις πράγματα λέξις. χαρ. ψυχ.: διάνοια λέξις σύνθεσις. χαρ. γλαφ.: πράγματα λέξις σύνθεσις. χ. κακοζ.: διάνοια ὀνομασία σύνθεσις. χαρ. ἰσχ. ξηρ.: διάνοια λέξις σύνθεσις. χ. δειν. ἀχ.: πράγματα σύνθεσις λέξις.

Adhuc diximus de prava libri dispositione generatim; iam descendamus ad singulas paragraphos. Atque omnia quidem afferre, quae male sunt disposita, hoc loco afferre non attinet, sed pauca exempla satis sunto. Velut cum inde a § 1 esset expositum de membris incisisque orationis, eique disputationi finis esset impositus § 9, postea §§ 34, 35 ad illam rem redit oratio, qui ordo prorsus non potest ferri; neque vero esse cogitandum de librariorum neglegentia ex fine § 33 et 35 intellegitur. Deinde §§ 173—175 non ad eum locum quo nunc leguntur, sed ad § 168 pertinent. De membris contrariis et similiter cadentibus disputatur § 247; paragraphis insequentibus de periodo contorta et verborum ordine; post scriptor § 250 ad illam rem his verbis revertitur: *ἡ δ' ἀντίθεσις, ἣν ἐπὶ τοῦ Θεοπόμπου ἔφην, οὐδ' ἐν τοῖς Δημοσθενικοῖς ἥρμοσεν* e. q. s. neque ulla re potest excusari haec ordinis perturbatio. Cum autem in universum scriptor brevitatem orationis paene nimiam sequatur, nonnullis locis ea verborum copia invenitur quam nemo toleraverit in ullo scriptore, velut haec leguntur § 40 de numero Thucydidis: *σχεδὸν (γὰρ) ὅλως τὸ μεγαλοπρεπὲς ἐν πᾶσιν αὐτῷ ποιεῖ ἡ τοῦ ῥυθμοῦ μακρότης. καὶ κινδυνεύει τῷ ἀνδρὶ τούτῳ παντοδαποῦ ὄντος τοῦ μεγαλοπρεποῦς αὕτη ἡ σύνθεσις μόνη ἢ καὶ μάλιστα περιποιεῖν τὸ μέγιστον.*

Tum saepenumero duae paragraphi ita inter se concinunt, ut scriptor se ipse quasi alium videatur exscribere; certe fugit eum eadem fere iam alio legi loco; cfr. §§ 5 et 204; 6 et 121; 7/8 et 241/2; 45/6 et 202; 99/100 et 243; 126 et 161, 29 et 154; 70 et 207; 130 et 152; 27 et 247; 31 et 248; 48 et 105.

Mitto quod in exemplis ex auctoribus allatis tam neglegentem se praebet scriptor, ut non possit esse dubium, quin fere semper memoriter ea protulerit, namque haec neglegentia ei est communis cum multis aliis rhetoribus; iis autem, quas antea attuli causas

satis mihi videor demonstrasse, non potuisse edi in publicum librum ita dispositum ab scriptore ipso. Qui certo ut erat summo acumine illa vitia non tulisset, quae neque possunt excusari in libro in publicum edendo, et si vel semel scripta retractasset, facile poterant emendari. Quamobrem existimandum esse puto aut scripsisse quidem hunc librum illum qui mente excogitavit, neque vero ita scriptum fuisse editurum, aliumque post illius mortem edidisse, aut ne scripsisse quidem, sed aliquem sicut ex illius ore exceperat litteris mandavisse et publici iuris fecisse. Iam quae novaverit editor, quae addiderit aut ademerit, ut rei natura fert nequit explorari. Cum vero capite dissertationis primo Demetrium Phalereum veterum testimoniis libri scriptorem confirmari ostenderimus, necesse est, si recte illud statuimus, narratiunculam qua Demetrii Phalerei prudentia commemoratur § 289 ab editore insertam esse. Idem num sit statuendum de Sotade, qui commemoratur § 189, sum incertus.

Neque vero solum veterum testimoniis confirmatur Demetrii Phalerei ingenio librum de elocutione deberi, sed exstant huius rei alia documenta gravissima. Cum enim paucissima ex scriptis Demetrii aetatem tulerint, tamen duo fragmenta rhetorica quam maxime cum libro de eloc. concinunt. Quae enim leguntur in Philodemi Arte IV, 16. *Πονηρὸν γὰρ εἰς ὑπόκρισιν αἱ μακραὶ περίοδοι καθάπερ καὶ παρὰ Δημητρίῳ κεῖται περὶ τῶν Ἰσοκράτους*, prorsus eadem est sententia eius qui scripsit de eloc.; cfr. § 303 *καὶ αἱ περίοδοι δὲ αἱ συνεχεῖς καὶ μακραὶ καὶ ἀποπνίγουσαι τοὺς λέγοντας οὐ μόνον κατακορὲς ἀλλὰ καὶ ἀτερπές*, quo loco Isocratem significari intellegitur ex § 12/3.

Ostendimus supra p. 10 Demetrii venustatem (*χάριν*) respondere ceterorum rhetorum urbanitati (*ἀστειολογίᾳ*); hoc ipsum censuisse Phalereum affirmat Tzetzae scholiasta Anecd. Oxon. t. III p. 384 *ὁ Φαληρεὺς δὲ χάριν ὀνομάζει τὸ ἀστεῖον*. Neque tamen hanc sententiam ex ipso libro de eloc. ab scholiasta prolatam esse existimo, sed ex Demetrii libro *περὶ χάριτος*; nimis enim in illo latet ea res, quam ut inde potuerit erui.

Libri de eloc. § 17 describuntur Aegyptiorum sacerdotum carmina sacra, id quod maxime est mirum in libro rhetorico. Neque tamen quisquam in ea re offendet qui meminerit eum qui illa excogitavit, diu in Aegypto esse commoratum. § 121 commemoratur *ὁ Νεῖλος κατακρημνιζόμενος*.

§ 293/4 ita exponitur de sermone figurato ut mihi non sit dubium quin is qui haec dicit se ipse respiciat. *ταῦτα δ' εἴρηκα ἐμφῆναι βουλόμενος μάλιστα τὸ ἦθος τὸ δυναστευτικὸν ὡς μάλιστα χρῄζον λόγου ἀσφαλοῦς ὃς καλεῖται ἐσχηματισμένος. καί τοι πολλάκις καὶ οἱ δῆμοι οἱ μεγάλοι καὶ ἰσχυροὶ δέονται τοιούτου εἴδους τῶν λόγων, ὥσπερ οἱ τύραννοι, καθάπερ ὁ Ἀθηναίων δῆμος ἄρχων τῆς Ἑλλάδος καὶ κόλακας τρέφων Κλέωνας καὶ Κλεοφῶντας.* Neminem autem magis quam Demetrium expertum esse populorum et tyrannorum inconstantiam nemo nescit.

Vita.

Carolus Hugo Liers natus sum a. MDCCCLV Seifersdorpii in vico prope Lignicium sito, patre Friderico quem ante hos XV annos praematura morte mihi ereptum lugeo, matre Augusta e gente Hilleriana qua adhuc superstite gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Cum in ludo rustico et a Gaertnero qui sacerdotis munere domi fungitur primis litterarum elementis essem imbutus, duodecimo aetatis anno in quartam classem gymnasii Lignicensis sum receptus, cuius fui discipulus per annos VII. A. MDCCCLXXV cum maturitatis testimonio dimissus in universitatem litterarum Viadrinam me contuli. Scholas audivi vv. ill. Dilthey, Elvenich, Hertz, Reifferscheid, Rossbach, Weber, Weinhold.

Seminarii philologici extraordinarii sodalis fui per duo, ordinarii per quattuor semestria; exercitationibus palaeographicis quas moderabatur Reifferscheid intereram per duo semestria; per quattuor germanicis quibus praeest Weinhold.

Praeceptoribus omnibus optime de me meritis maximam gratiam et habeo et semper habebo.

Theses.

I. Dion. Halic. scr. rhet. ed. R. p. 1108: *οὐκ ἂν ἔχοιεν εἰπεῖν βεβαίως ὅτι τῇ φήμῃ παραλαβόντες τουτὶ μέν ἐστι Πολυκλείτου τὸ ἔργον* e. q. s. scribendum est *ὅτι μὴ φήμῃ* e. q. s.

II. Dion. Hal. s. rh. p. 128: *οὕτως εὐγενῶς ἅμα* (Victorii ,l': *οὕτως εὐγενὲς σῶμα*) *καὶ δεινῶς πάθη λέγεσθαι προσῆκεν ὑπ' ἀνδρῶν φρόνημα καὶ νοῦν ἐχόντων* e. q. s. legendum est *οὕτως εὐγενῶς ὠμὰ καὶ δεινὰ πάθη* e. q. s.

III. ib. p. 1072: *τῆς ἁρμονίας ταύτης οἰκεῖόν ἐστι καὶ τὸ τὰς περιόδους αὐτουργούς τινας εἶναι καὶ ἀφελεῖς καὶ μήτε συναρπαζούσας ἑαυταῖς τὸν νοῦν* e. q. s. est emendandum *συναπαρτιζούσας*.

IV. Verba Dionysii p. 449 *ἄλλαι τε πολλαὶ καὶ καλαὶ πραγματεῖαι καὶ Ῥωμαίοις καὶ Ἕλλησιν εὖ μάλα διεσπουδασμέναι προεληλύθασι* e. q. s. non recte est interpretatus Fr. Blassius (Griech. Beredsamkeit von Alex. bis August.. p. 194).

V. Dionysius Hal. non est dignus ea laude quam ei tribuit Blassius.

VI. Dionysius Hal. anno VII. ante Chr. n. non omnes antiquitatum libros edidit.

VII. Non recte dicit Spengelius (Aristot. A. Rhet. t. II p. 379) unum idemque esse Aristotelis *σύντομον* et *ἑλληνισμόν* (Arist. A. Rh. l. III. cap. V. VI) eaque virtute vulgare dicendi genus notari.

VIII. Demetr. Phal. *περὶ ἑρμ.* § 198 est interpungendum post verba *συντομώτερον δέ*.

IX. Pulchritudinis duas partes volunt esse veteres, gravitatem sive dignitatem et venustatem; venustas complectitur probam venustatem (*τὸ εὔχαρι*) et ridiculum, ridiculi partes sunt ioca et probra.

Cervimontii.
Officina typographica societatis „Bote a. d. Riesengebirge".